

Jam autem ratio in eis exponendis adhibita non parum habet commendationis. Nam et argumentum est perspicue congrueranterque in tres libros distributum juxta triplicem animorum nostrorum statum, in morte, post mortem usque ad Judicium extremum, et in ipso iudicio; deinde unaquaque liber in multiplices ac jucundissimas questiones (quotquot sere de proposito argumento institui possunt) divisus est: quae tamen auctor ita dissolvit, ut per se uis sanctorum Patrum antiquorum sententias usus, nihil prorsus præter eorum effata de suo se addere velle profiteatur. Genus scribendi, sicut prudentissimum, et in loco tutissimum, sine Scriptura sacra, Ecclesiæ traditione atque auctoritate nihil de religione concludere, ita singulariter animi moderationem demonstrans, eo magis predicandam, quo in virum cadere intelligimus, in omni disciplina versatum, et in re præsentim theologica eruditissima, qui que jugem veterum lectio nem, ac pene infinitam memorie vim, cum ingenii acumine, scribendique facultate minime vulgari con jungeret. Dignus propterea quem cum doctioribus, saæctioribusque prædecessorum suorum conferamus, ne illos dicamus quodammodo superasse.

Quo loco, qua occasione, et ad quem hujusmodi opusculum scriptum fuerit, supervacanciam est commemorare, cum omnia abunde exponantur ab ipso Juliano in epistola (quæ opusculo eidem præfationis loco premittitur) ad Idalium Barcinonensem episcopum, virum satis doctum, et egregie prium, qui Julianum Toletanum velut omnis doctrina virtutisque magistrum coebat.

(Quo vero anno, nos est ita facile definire. Quod si conjectura aliquid assequi possumus, ad annum 688 vel 689 ejus scriptio referenda videtur. Narrat enim Julianus enatam hujus disputationis occasionem ex mutuo colloquio habito cum Idalio, cum hic Toleti sub Paschæ tempus versaretur. Idalium vero non constat Toletum venisse, præterquam ad concilium Toletanum xv, quod anno 688 celebratum est. Accedit quod eodem ipso anno rex ad bellum profectus dicitur, cum Julianus de absolvendo opusculo cogitavit. Quod de Egica rege interpretarum, cum Ervigius ejus predecessor pacis studia perpetuo secutus sit. At Egica, qui jam exente anno 687 regnum est adeptus, bellum suscipere non valuit ante annum 688. Ut ut sit, in postremis Juliani lucubrationibus hæc procul dubio recensenda est.

Quarto jam (quod scierimus) præla sobiit hic tractatus. Primo Lipsie anno 1536 cura Joannis Coekeli; secundo Parisiis anno 1554 ex ms. Andrea Regendi, ut ascriratur. Tertio Duaci anno 1564 præcurante Boetio Epone, in academia Duacena professore regio: codem pio consilio, quo Joannes Coekleus ante annos 28 usus fuerat; nempe ut hoc veteri monumento, religionem ab hereticis impudenter imputitatem defenserent, opponendo illorum temeritatì ac novitati, in unius hominis testimonio, qui saeculo septimo vixerat, totius retro antiquitatis doctrinam circa precipua controversiarum capita. Qua de re digna est quæ ab omnibus legatur supra laudati Boetii Eponis prefatio ad Philippum II Hispaniae regem, ejus editioni præfixa, quæ præter summam pietatem et eloquentiam quam præ se fert, magnam continet lamen et operis et auctoris. Omnes haec tres editiones eo pluris estimande sunt, quod ex diversis Codicibus ms. sint expressæ, adeoque sibi mutuo lucem aliquando deferant. Namque illa alia quarta, quam significavimus, ab editoribus Bibliotheca Patrum profecta, nihil per se habet commendationis, quippe quæ ad exemplar Duacenæ conformata est.

Jam autem accipe, quid nos in hac nostra præstiterimus. Cum nullum Codicem antiquum ad manus haberemus (ille namque, quem vidit Ambrosius de Morales in monasterio Cisterciensium de la Espina, deplorando illo incendio absumpius est, quo totum monasterium anno 1731 conflagravit) editiones duas Lipsiensem et Duacenam inter se diligenter contulimus, ex quibus neutram perpetuo secuti sumus, sed ex altera alteram mutuo emendavimus, si quando aperte peccant. Interea variantes utriusque lectiones descripsimus, et propria loca, unde sanctorum Patrum sententias verbave desumpta sunt, queque auctor maxime indicavit, diligenter inquisita atque collata designavimus, annotantes si quid edita a nostris discrepant. Que tamen opera nostra in sancti Eugenii et Juliani Pomerii testimonis nequidquam fuit. Periere enim absdubio opuscula in quibus Julianus laudatas sententias perlegerat: cuius tamen diligentia haec fragmenta debemus.

SANCTI JULIANI

TOLETANI EPISCOPI

PROGNOSTICON FUTURI SÆCULI

LIBRI TRES.

AUCTORIS EPISTOLA,

Quæ præfationis locum habet in veteribus Codicibus ms.

Sanctissimo ac præ ceteris familiarissimo mihi in Domino Idalio, Barcinonensis sedis episcopo, Julianus indignus Toletane cathedralis episcopus.

Diem illum clara redemptorum omnium exceptione perspicuum, quo a presenti anno pariter in urbe regia positi passionis Dominicas festas festivo cor-

• *Lipalonia, Redemptoris omnia.... conspicuum, quem....*

• *Quis recolendo dignis queat explicare affatus?*

Illud tunc, etc. Eadem.

A diu ardore suscepimus, quis recolendum dignis valeat affectibus explicare? Illo tunc actum est, ut congrua tantæ festivitatis silentia expertentes, renotiorem secreti locum intrarentur. Illic divinae passionis compluendi imbris, discretis ambo stratibus lectorum excipimus, ubi dum aeternæ lucis spiculæ et communius tangemur, sacra lectio in manibus sumpta est. Lectum est in diurno silentio^a. Dominicæ tunc passionis secreta, congressis Evangeliorum:

^a *Speculo. Lips.*

^a *Quam avide scrutantes, lectum est in diurno silentio. Ead.*

concordiis, scrutabamur. At ubi ventum est ad quendam lectionis desiderabilem locum, quem nunc recordari non valeo, concensimus, gemimus, suspiramus. Sublime quoddam jubilum in nostris mentibus nascitur, et subito in quendam contemplationis arcam pertrahimur. Obortae lacrymarum conatum lectio- nis avertunt, communis mœror rejicit librum, et solius mutuae collationis secundari munere opperitur. Quis ibi divinus sapor nostros animos^a attigerit, quæ supernæ charitatis dulcedo mentibus mortalium se illapsa diffuderit, quis aut scriptis^b explicet, aut relatu condigne vocis sufficiat explicare? Eras enim tunc (fateor, mi domine et frater^c sanctissime) podagrici doloris contortionibus talidus, sed multo amplius spe divinæ contemplationis erectus. Credo quod tunc omnis tibi dolor corporei cruciatus fuderit, cum divinum illud inter nos cœpit colloquium agitari. Ibi tunc^d plenissime sensi quam bonum sit et quam jucundum^e habitare fratres in unum (Psalm. cxxxii, 1); quando illud sancti Spiritus unguentum quod a Deo capite nostro in oram vestimenti ejus (quæ nos forsitan tunc eramus) descenderat, magnæ necessariaeque perquisitionis^f nos accensione lustrabat. His ergo^g sercularum dapibus invitati, cu pimus inter nos querere quomodo se habeant^h animæ defunctorum ante illam ultimam corporum resurrectionem, sique collationeⁱ mutua nosceremus, quid futuri post hauc vitam essemus: ut vivacter et veraciter de hoc negotio cogitantes, tanto certius praesentia fureremus, quanto futura perscrutantes noscencus avidius.

Orta ergo ex hoc negotio quedam quæstiuncula sunt, quæ diversitate sui non leniter i animos nostros attigerunt. Sed de his optimam solutionem vel definitionem sensus brevitate non valentes colligere, erectus est nostrorum pariter animus, ut quidquid nobis de hac re in quæstionem venisset, stylo percurrente annotari deberet; sique quidquid^k ex hoc ipso respondendum ratio posceret, quidve catholico-rum magistrorum sensu definitum existeret, memoria sacre lectionis nobis exprimeret: nec librorum revolutione^l continua, sed vive vocis idageretur recordationis industria^m. Tunc egoⁿ, ni fallor, urgentibus vobis, accito notario, capitula de præmissis quæstiunculis eodem die in presentia vestri, quanta potui brevitate, collegi. Sed in divinis rebus impatiens, ut assolet, tue sanctitatis^o animus, tenuitatis meæ

^a Nostros nostrum animos. Lips.

^b Quis unquam aut dicere scriptis, aut. L.

^c Confrater. L.

^d Ubi tunc. L.

^e Atque jucundum. L.

^f Quando illud oleum sancti Spiritus, quod a capite nostro in oram vestimenti ejus... magna nece-sariae perquisitionis, etc. Editio Duacena.

^g Igitur. L.

^h Haberent. L.

ⁱ Collocutione. L.

^j Non levier. L.

^k Sic quidquid. D.

^l Tunc revolutione. L.

^m Et recordationis industria. L.

A vires suavissimo familiaritatis imperio cogit, et dividuae societatis præcepto construxit, ut hæc ipsa, quæ superius in quæstionem venerant, et quæ digesta titulorum nobis^p jam formatione placent, mox ut datum mihi divinitus otium persenssem, et uno tota et brevi volumine complicanda congererem, et quid ex hoc majorum auctoritas senserit, appositis eorum sententiis^q demonstrarem; ut jam in perquisitione talium quæstionum, numerositas librorum, querenti anime laboriosa non esset, sed multiplicem lectoris sitim hæc collecta brevitas satiaret. Insuper quoque definitum est a nobis, alternae charitatis commercio, ut de resurrectione ultima corporum, quantæ possent^r causæ vel quæstiunculae memorie nostra se recolendæ^s ingerere, simili titulorum B stylo renotanda curarem. Extra hos ergo duos libros^t illud quoque socio moestificati cordis affectu fieri censuimus, ut his duobus præcedentibus libellis, primus liber condenseretur de hujus corporis morte, qui titulorum simili distinctione conformatus^u præcederet, et legentis animum immoderato mortis metu perterritum, spe coelestium erigeret gaudiorum; sique post depositionem^v vel receptionem corporis hujus, quis et quantus sit sanctis animabus æternæ beatitudinis fructus, sequentium librorum haberetur renotatione expressus. Hæc igitur tota illa tunc desiderabili die^w acta vel definita mecum ipso cognoscis.

At modo, quia bellica profectio gloriosi principis ab urbe regia turbulentos cuneos populorum secum

C abegit, quo credo actum esse, ut salum mentis nostræ post turbines^y placidis aurarum flatibus inciperet reserenari; et tui præcepti et mei promissi recordari me contigit. Egi ergo, etsi non ut debui, saltem ut potui, quæ promisi. Primum librum de origine humanæ mortis; secundum, quomodo se animæ defunctorum ante resurrectionem corporum habeant; tertium de ipsa resurrectione conformans. Quod totum sub uno volumine in tribus libris fore constituens, hoc principaliter huic vocabulum libro dedimus, ut ex meliore et majore parte Profectus futuri æculi appelletur. In quo tamen^{aa} non mea, sed majorum exempla doctrinamque reperties; et tamen si alicubi parum aliquid vox mea insonuit, non aliud quam quod in eorum libris legisse me memini, proprio stylo conscripsi. Sed et ibi si qua forsitan aliter quam dicenda sunt dixi, aut aliter quam formanda

ⁿ Ergo. L.

^o Sanctitudinis. L.

^p Vobis. L.

^q Apostolicis etiam sententiis. Duac.

^r Possant. D.

^s Recolendo.

^t Extra duos igitur libros. L.

^u Confirmatus. L.

^v Dispositionem. L.

^x Expressum. Hæc ergo toto illo tunc desiderabili die, etc. L.

^y Profecturus secum, quod credo actum esse, ut salum mentis nostræ post ruinæ, vel turbines, sic. L.

^z Futura conformans. L.

^{aa} Appellaretur. In quo tum. . L.

erant ^a, temerator apposui, charitas quæ omnia suffert et tolerat, consitenti mihi ignoscat: idque apud animum ^b tuæ sanctitatis obtineat, ut quod imbecillitatis nostræ sensus minus docte formavit, prudentiæ restræ ^c supplementum corrigat, elucidet et exornet: atque hoc præ ceteris a Domino obtentu precum ^d obtineat, ut quidquid in hoc opere male cautus forsitan delictorum contraxi, abolere jubeat commercium illud pii sanguinis Jesu Christi ^e et Salvatoris nostri. Hoc igitur opus, non ad hoc tantum mihi formare perplacuit, ut quasi ineognita legentibus demonstrarem, cum multos non dubitarem ^f harum rerum scientiam multiplicium librorum voluminibus didicisse; sed potius, ut sub uno collecta futurorum ^g ratio mentes mortalium eo vehementius tangeret, quo sine labore hic posita perlegisset, et eo compuncta mens redderetur ad tempus, quo facillime hic illi cibus occurrisset oblatus ^h. Hæc ergo librorum formatio ordinata, pro notitia collecta sufficiat, ut in hoc speculo noster sese animus recognoscat. Nam si ⁱ quod futuri sumus, sedula meditatione ruminavimus, credo, quod aut raro aut nunquam ^j peccabimus. Sic enim scriptum est: *Fili, in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Ecli. vii, 40*). His igitur peractis, quæ recordationis ^k causa premissa sunt, id precor, id expeto ^l, ut librorum hæc oblata formatio, sive placentis, sive displicens sit, aut censuræ vestræ stylo meliorem sui ^m subeat palmarum, aut judicii vestri ⁿ debeat publicari sententia.

IDALII RESPONSIO ^o.

Sanctissimo, et mibi præ ceteris peculiari domino Juliano Toletanæ primæ sedis episcopo, Idalius Barcinonensis sedis episcopus.

Recordatione peccaminum meorum pavidus, et memoria ingentium criminum usquequaque perterritus, putaveram divinas aures in meis penitus obduratas fuisse clamoribus, cum promissionis vestræ minime perciperem opus. Et licet hujuscemodi causa nunc diversis perturbationibus agitatus, nunc etiam optate opportunitatis eventu privatus, aut (ut assolet) oblivione detenus, suggestionibus meis valesfactionem alternans, sanctitudini vestræ intulerim minime preces; fretus tamen Salvatoris et Redemptoris nostri oraculo, quo discipulos sacravit, dicendo: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fieri illis a Patre meo qui in cælo est* (*Math. xviii, 19*); vestra quoque promissionis fiducia uberrime fretus, fixum corde tenebam, quod neque veritas mentiri ullatenus posset, neque veritatis cultor atque discipulus mendaciis deserivret. Exspectabam ergo sanctitudinis vestre pro-

A missum, spem magnam repositam habens in Domino Iesu Christo: orabam tamen, etsi non quotidie, certe saepè, ut idem qui ubique præscens est, cordi nostro inspirator adesset, et votis nostris effectum tandem præstaret.

Nunc ergo, quia Dominus memor fuit mei, et votorum meorum me compotem fecit, gaudio os meum et linguam exultatione replevit, cum et vos perfectione sancti operis cumulavit, et me laboris vestri effectu ditavit. Dicam ergo illi cum exultatione mentis Prophetae sui verbis: *Benedictus Deus, benedictus Dominus, de die in diem* (*Psal. lxvii, 20*). Ad veniens namque quidam Judeus, nomine Restitutus, quasi brutum, ut ita dixerim, animal, materiam lumen congruentem deportans, librum quem studiosa brevitate, non solum ex antiquorum sanctorumque Patrum sententiis, verum etiam, inspirante et docente Christo, labore ac studio proprio consummare, et nostræ ineptiæ sanctitudinis vestræ prudenter mittere procuravit, gemellis manibus obtulit.

B Quem aviditate noscendi rapiens potius quam accipiens, citissime pandi, titulumque contra suspiciens, miratum me esse fateor, cur tanti et tam preclarri mercimonii causa tam infido, et a cultu fidei alieno, vestra sanctitas crediderit bajulo. Sed illico illa ratione imbutus, qua thesaurus fictilibus vasis committitur, præfato Judeo cur ea quæ acceperat, illæsa detulerit, prius potius quam vobis, gratias egi, considerans ne forsitan immutatione dextræ Altissimi ageretis, ut is qui caduca mercimonia vectare solitus erat, divinis æternisque mysteriis pararetur. Intellexi tamen in hac parte sancti et artificiosi cordis vestri humilitatem, quæ omne quod in dictis vestris venustum, nitens, et purum existit, cum gratiarum actione referendo ad Deum, cuius vobis manere venit, ingens et optimum reddit; vñnam vero gloriam resundo, eo idipsum abjectum videntium obtubus ostendere nilitur, quo villori gerulo hoc idem credidisse cernitur.

C Inspecto igitur præscripti codicis discussoque vocabulo, nullum penitus aliud reperi valui nomen eidem operi congruentius, nisi quod ipse in principio sui voluminis gestare videtur. Appellatur enim *Prognosticon futuri sæculi*, quod Latine præscientia futuri sæculi dici non incongrue potest. In quo quidem quamlibet primus liber quadam ex parte peccantibus asperitatem metumque incutere videatur; duo tamen subsequentes libri maxima fiducia christiolarum relevant corda ob spem future resurrectionis, et regni, quod se fidelibus Christus daturum promisit. Reliquum vero totius codicis corpus legendo transcurrrens, reperi illud quod Jesus Chri-

^a Formandum erat. Duac.

^b Animos. L.

^c Tuæ. L.

^d Precis. L.

^e Domini nostri Jesu Christi. I..

^f Dubitem. L.

^g Hic futurorum. L.

^h Optatus. L.

ⁱ Nunquam aliquando. L.

^j Quæ dignoscentiæ, vel recordationis. L.

^k Et expeto. L.

^l Deest sui in L.

^m Deest vestri. D.

ⁿ Exstat hæc epistola Idalii in editione Lipsiensi Joan. Cochlici, ad calcem Prognostici; deest vero in Duacena.

stus Dominus in Evangelio loquitur : *Omnis scriba A doctus in regno cælorum similis est homini patris familiæ, qui profert de thesauro suo vetera et nova* (Matth. XIII, 32). Evidenter enim et dubia effugata, et obscura in lucem producta sunt, cum et antiquorum Patrum decreta, et novæ bravitatis indicia artificii vestri fructuoso labore ad medium sunt deducta. Manet ergo ex illorum sententia veritas, ex vestro autem labore nova et verissima brevitas.

Quidquid igitur veraciter illi, caste et sobrie in Dei causis senserunt, est tibi commune cum illis, ad cajus notitiam doctrina Domini hoc ipsum deduxit. Vestræ tamen sollicitudini tantumdem applaudit, quod curiositate instante, illorum sententiæ in unum collectas, pigris et torpentibus contiguo relatu manifeste aperuit. Propter quod licet illi ministraverint donante Christo materiam, vestro tamen operi totius laboris astipulabitur summa. Nam et aurum quamlibet originis ac naturæ suæ obtineat splendorem, cum per formas aut etiam figurarum varietates perite deducitur decenterque politur, artificis ingenuum non inamerito prædicatur. Hujus rei exemplo permotus, ingenii efficaciam, quam divina cordi vestro intulit gratia, insigneque studium, quo vos in causis Christi desudasse cognosco, attollere laudibus proeurearem, aut quia ego nequeo, alios prædicare precarer, nisi quia id ipsum vobis disciplinare soleat, conscientis essem. Restat ergo faciam quod vestræ sanctitas desiderat animæ.

Refert itaque mea pusillitas, imo mecum Ecclesiæ universitas, ad cuius notitiam insignia operis vestri deduxit nostra tenuitas, immense et ineffabili Trinitati, non quantas debet, sed quantas valet gratiarum copias, quia in fine temporum aut pene (ut verius dixerim) in consummatione mundi, effudit in corde beatitudinis vestræ donum gratiae suæ simile et studium operis sancti, deditque in ore vestro directum et bene sonantem sermonem, quo et delinquentium corda terrendo sonaret, et bonis operibus detitos, in sanctis actibus confirmandos, igni cœlesti afflatim animaret.

Oramus deinde majestatis supernæ profusissimam pietatem, ut in præsulatu Ecclesiæ suæ ad illuminationem fidelium annos vitæ vestræ protelando conservet : et ita donum gratiarum suarum, quod cordi vestro diffudit, exuberare concedat, ut catholicam plebem studiosis operibus doctrinisque sanctimoniaz vestræ, honorum omnium compotem reddat, proque laboris vestri sancta instantia, post longissima vitæ hujus spitia, remissis iniquitatibus, tectisque peccatis, cum sanctis et electis suis coelestia vobis ad possidendum regna concedat.

^a Et quibus. L.

^b Mihi dignatus. L.

^c Ecce anxium est cor meum. D.

^d De functis animabus. L.

^e Eas. L.

^f Aliorum. L.

^g Collegi. L.

^h Necesse sunt. D.

ⁱ De quo. L.

EJUSDEM JULIANI ORATIO AD DEUM.

Desertum Idumææ cæcus et morbidus possessor inhabitans, clamo ad te, Fili David, miserere mei. Patriam enim meam æternam Jerusalem quæro, cives ejus contemplari desidero; sed quibus ^a ductoribus illuc transeam, non invenio. Tu ergo qui temetipsum dignatus ^b es ostendere viam, porrige mihi manum tuam, qua illuc non jam cæcus, sed videns, sine aliquo latrocinantium impedimento perveniam. Tu enim solus, et talis es via, quæ latronem non habet. Ecce anxium cor meum ^c, pro reditu patriæ illius diu tibi suspirans, immensa futurorum cura distenditur : cupiens, ut antequam illuceatur, hic jam futuræ illius beatitudinis gaudia contempletur. Quærens enim, quis defunctorum animas ^d fructus post mortem corporis hujus maneat, quæ etiam glorificatio post receptionem corporum eos ^e attingat, pro modulo virium mearum, ac quantum ex disputatione majorum ^f dignoscere potui, quædam in hoc opere causarum instrumenta curavi colligere ^g. Sed hæc quoque, quantum potest dici a mortalibus, dicta sunt; non tamen omnia dici potuerunt, quæ futura esse necesse est ^h, quia inscrutabiles sunt semitæ judiciorum tuorum. Ego tamen in illius patriæ sinum, de qua ⁱ tanta dicuntur, cupiens evolare, peto ut per te, qui via es, gradiar, in te, qui es veritas, non offendam, ad te, qui es vita, perveniam. A te ergo ^j, qui summæ felicitatis es via, nullis casibus dividar, nullis rerum impedimentis abrumpar; sed in te gradiens, latronem moriturus non patiar, mortuus ^k accusatorem non perferam. Angelicis morientem me excubiis protege; evocatum ad te, extenso ^l pietatis gremio consolare, ut ad te sine conuione veniens ^m, videam quæ bona sunt in Jerusalem. Jam jam, Domine, satis est, quod hucusque peccatorum tenebris fuscatus, non interii. Unde ut et hoc ipsum, quod mihi vel fratribus meis ⁿ ad remedium præparo, ne offensibile fiat in aliquo, te obsecro, te peto, per gloriösum illud sacri sanguinis tui commercium, et crucis tuae invictum, et venerabile signum, ut non pro his velut temerarius ^o argar, non ut erroneus contabescam, non cum illis puniar judicandus, qui magna de corde suo, non de spiritu tuo, loquuntur. Ecce habes, mi Domine, me pauperem tuum mendicantem et pulsantem, nec superbe nescita deflinientem, sed humiliter, quæ scienda sunt, agnoscerè cupientem. Ciba ergo me, Domine ^p, de omnibus promissis gratiæ tuae, quæ hic etsi attingi ^q non possunt, perfici tamen vera fidei firmitate creduntur; ut gaudium illud quod nullo hominum

ⁱ Ergo deest. L.

^k Mortis. L.

^l Protenso. L.

^m Perveniens. L.

ⁿ Deest meis. L.

^o Et quatenus pro his non ut temerarius. L.

^p Deest Domine in L.

^q Attingi sensu. L.

stylo valet comprehendendi, quod oculus non vidit^a, et A hic feliciter præstolari^b, et illic pleniori rerum evanescere hominis non ascendit, dones mihi misero et dentia contueri.

^a Nullus oculus vidit. L.

^b Persfui. L.

INCIPIT

PROGNOSTICON S. JULIANI

LIBER PRIMUS.

DE ORIGINÈ HUMANÆ MORTIS.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo primum mors in mundum intraverit.

Peccato primi hominis actum esse, ut mors in mundum intraret, Paulus apostolus docet : *Per unum hominem, ait, peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (Rom. v, 12.)

CAPUT II.

Quod Deus immortales angelos creaverit, peccantibus autem hominibus mortem sit communatus.

Mors in hominibus de peccati propagine venit. Non enim eodem modo^a, quo angelos condiderat Deus, ita et homines condidisse credendus est; ut etiam si peccassent, mori omnino non possent. Sed ita conditus est homo, ut perfunctus obedientiae munere, sine interventu mortis, angelica eum immortalitas sequeretur, eternitasque beata; inobedientem autem, mors plecteret justissima^b. Unde eodem primos homines peccatores videmus ita fuisse^c morte mulctatos, ut etiam quidquid ex eorum stirpe esset exortum, eadem pena teneretur obnoxium; non enim aliud ex his, quam quod^d ipsi fuerant, aasceretur. Pro magnitudine quippe illius reatus naturam damnatio^e mutavit in pejus, ut quod pena liter præcessit in peccantibus primis hominibus, etiam naturaliter sequeretur^f in nascentibus cæteris.

CAPUT III.

De qualitate primi hominis^g, vel de pena mortis, qua post peccatum juste damnatus sit.

Primus homo ea naturæ qualitate creatus est, ut immortalitatis et mortis admodum capax, nec sic immortalis fieret, ut etiam si peccaret^h, mori non posset; nec ita mortalis, ut si noluisset peccare, morti succumberet. Arbitrii quoque libertate dona-

Bⁱlus est, ut jure aut beatus esset qui noluisset peccare cum posset, aut miser, qui cum potuisset peccatum vitare, non aliqua necessitate, sed propria voluntate peccasset. Et quia nec recte factum, nec peccatum dici potestⁱ sine aliquo custodia vel desertione præcepti, in paradiso præceptum constitutus accepit, ut qui posse non mori, et posse mori habuit in natura, aut exsecutione præcepti vitalis probatus obediens, sic fieret immortalis, ut mori ultra non posset; aut prævaricatione ejus deprehensus inobediens, sic inciperet esse mortalis, ut mortem vitare non posset. Haec mihi videtur causa, qua primus homo præceptum accepit : et justa pena esse^j, quæ peccanti merito suæ prævaricationis accedit.

CAPUT IV.

Unde dicta sit mors.

Mors dicta est, quod sit amara, vel a morsu primi hominis appellata^k. Nam cum primus humani generis parens lignum vetitum per inobedientiam contigit, per morsum mortem incurrit^l.

CAPUT V.

Tria esse genera mortis.

Et sciendum quod^m tria sunt genera mortis, id est, acerba, immatura, naturalis. Acerba infantum, immatura juvenum, naturalisⁿ senum.

CAPUT VI.

Quam aspera sit mors carnis, et quod plerumque mortis etiam ejus non sentiant morientes.

Quod attinet ad corporis mortem, id est, separationem animæ a corpore, cum eam patiuntur qui morientes appellantur, nulli bona est. Habet enim asperum sensum^o, et contra naturam vis ipsa, qua utrumque divellitur quod fuerat in vivente coniunctus. sancti Isid. (Lib. II. Etym. cap. 2) in quibus totidem verbis continetur haec altera mortis etymologia a morsu ducta. Quam lectionem cum indicasset editio Parisiensis sancti Isid. regia nostra editione antiquior, quare in hac non solum rejecta sit a textu, sed et omnino in margine prætermissa, non videmus.

¹ Prosequitur editio Lips. Unde et a morsu more ipsa utique appellatur.

^m Et sciendum quod; desunt haec verba. L.

ⁿ Matura, id est, naturalis. L.

^o A spiritu sensum. L..

^a Eo modo. L.

^b Damnatione justissima. L.

^c Primos peccatores ita fuisse. D.

^d Deest quod in D.

^e Illius naturarum damnatio. D.

^f Sequeretur in cæteris hominibus. D.

^g Creati hominis. L.

^h Et mortis capax fieret, ut nec sic immortalis fuerit, ut etiam si peccaret, etc. D.

ⁱ Et recte factum: quia nec peccatum dici posset. D.

^j Et justam esse penam. L.

^k Ex hoc loco confirmatur lectio aliquorum cod.

ctum atque consertum, tandem moratur, donec omnis necetur et admatur sensus, qui ex ipso inerat animæ carnisque complexu; quando tantam molestiam nonnunquam unus ictus corporis, vel animæ raptus intercipit, nec eam sentiri præveniente celeritate permittit.

CAPUT VII.

Quod plerumque contingat, ut per asperam mortem liberetur anima a peccatis.

Quidquid illud est in morientibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, pie fideliterque toleratum, auget meritum patientiae, non auferit vocabulum poenæ. Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine proculdubio sit mors pena nascentis, tamen si pro pietate justitiae perpendatur, sit gloria renascentis. Et cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato. Ita ex hoc^a beatus Gregorius dicit: « Scriptum est: *Justus qua morte prævents fuerit, anima ejus in refrigerio erit* (Sap. iv, 7). Electi ergo qui ad perpetuam vitam tendunt, quid eis obest, si ad modicum dure moriuntur? est enim nonnunquam fortasse eorum culpa, lieet minima, quæ in eadem debeat morte resecari. Nam vir Dei contra Samariam missus, quia per inobedientiam in itinere comedit, hunc leo in codem itinere occidit. Sed statim illic scriptum est, quia sicut leo iuxta asinum, et non comedit de cadavere ejus^b (III Reg. XIII, 28). Ex qua re ostenditur, quod peccatum inobedientiae in ipsa fuerit morte laxatum, quia idem leo qui viventem præsumperat^c occidere, occisum non præsumit attingere. Qui enim occidendi ausum habuit, de cadavere occisi comedendi licetiam non accepit (Greg. Dial. lib. IV, cap. 24). » Unde ita esse creendum est, quod plerumque de culpis minimis ipse solus pavor egredientes justorum animas purget. Nam in ipso exitu vitæ animæ electorum nimio terrentur metu, incertæ utrum ad præmium, an ad supplicium transeant. Quidam autem electi in fine suo purgantur a quibusdam levibus peccatis; quidam vero in ipso suo fine hilarescant, æternorum contemplatione honorum^d.

CAPUT VIII.

Quod mors bonum aliquod non sit^e, et tamen bonis bona sit.

Mors, qua separatur corpus ab anima, est plerumque bonis bona; quia per eam pertransitur ad immortalitatem futuram. Non quia mors bonum aliquod facta est, quæ antea malum fuit, sed tantam Deus fidei prestidit gratiam, ut mors, quam constat esse

^a Quantum totam molestiam. L.

^b Mortem carnis. L.

^c Tolerando. L.

^d Item ex hoc. D.

^e Moriuntur? L.

^f Deest ejus. L.

^g Quia idem quem viventem præsumpsit. L.

^h Bonorum deest in D.

ⁱ Nec boni aliquid sit. L.

^j Subsequatur. L.

^k Attendant hanc optimam rei hujus solutionem. L.

^l Imparitur. L.

A vita contraria, instrumentum fieret, per quod transiretur ad vitam.

CAPUT IX.

Contra eos qui dicunt, si in baptismo peccatum primi hominis solvit, quare mors baptizatos homines subequitur?

Quos movet, cur mortem homines patiantur, quorum per gratiam baptismi reatus absolvitur, intendant^m. Qui enim hæc dicunt, solent argutis propositionibus dicere: Mors quæ in primum hominem venit, de malo inobedientiae accedit, et ideo pro originali illo peccato mortis unicuique conditio impertinetⁿ. Nos autem quorum originale peccatum in baptismate solvit, cur mortis hujus supplicio teneamur? His objectionibus ratio probata^o respondet.

B Sic enim de his doctor egregius Augustinus loquitur, dicens: « Ad hoc relinquitur animæ experimentum separationis a corpore, quamvis ablato jam criminis nexus, quoniam si regenerationis sacramentum continuo sequeretur immortalitas corporum, ipsa fides enervaretur, quæ tunc est fides, quando exspectatur in spe, quod in re non videtur» (S. Aug. lib. II de Peccat. merit. et remis., cap. 31 et 32).

Fidei autem robore atque certamine, in majoribus duntaxat ætatis, etiam mortis fuerat timor superandus: quod in sanctis martyribus maxime emicuit. Cujus profecto certaminis esset nulla victoria, nulla gloria, quia nec ipsum omnino esset certamen^p, si post lavacrum regenerationis jam sancti non possent mortem perpeti corporalem. Cum parvulis autem baptizandis, qui non ad baptismum propter Christi gratiam, sed propterea potius current, ne a corpore solverentur, atque ita non invisibili præmio probaretur fides: sed jam nec fideles essent, confessim^q sui operis querendo et sumendo mercedem. Nunc vero majore et mirabiliore gratia Salvatoris, in usum^r justitiae peccati poena conversa est. De hoc quoque ita Julianus Pomerius ait: « Ideo regenerati hinc ad æternam beatitudinem transire sine carnis morte non possunt, quia non præsentis est vitæ, sed futuræ omne bonum, quod in eis sacramenta, quibus regenerantur, efficiunt. Et utique, si spe salvi flunt quicunque salvantur, et spes non temporalis vitæ, sed æternæ est, non spe aliqua salvarentur regenerati in Christo, si non ad æternam beatitudinem consequendam, quæ non videtur, cui militat spes, sed propter hanc visibilem vitam sine termino possidendam, viderentur velle in Christo renasci: atque ita nec fideles essent, in quibus nulla esset invisibili-

^m Prolata. D.

ⁿ Prosequitur editio L. « Hinc Paulus ad Rom. Spe salvi facti sumus; spes autem, quæ videtur non est spes, nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam spectamus. »

^o Posset esse certamen. L.

^p Altera editio Duac. Cum parvulis autem baptizandis quis non ad Christi gratiam propterea potius curreret, ne a corpore solveretur?.... sed jam nec fides esset, confessim, etc.

^q In usus. L.

lium fidem, et ad bona invisibilia promerenda tepidi redderentur vita hujus temporalis amatores ^a.

CAPUT X.

Quod praeceps sint angelii, quando homines moriuntur.

Cum, imminente morte, animæ a corpore separantur, angelos ibi adesse fatendum est, qui exuenient a corporibus animas justorum suscipiant, et piorum receptaculis introducant. Unde cum in Evangelio mentio divitis et Lazari pauperis ageretur, sic scriptura est : *Contigit mori inopem illum, et deferri ab angelis in sinum Abrahæ* (Luc. XVI, 23). Qua sententia verissime confirmamur ^b, quod in separatione saecularum animarum, et egressu a corpore, angelorum semper habeantur excubiae.

Nam et sanctus Augustinus ex illa opinione disserens, qua voluit ostendere, si sciant mortui quid agant vivi, hoc quoque in disputatione predictæ questionis interserens, ait : « Nisi enim essent angelii, qui possent interesse vivorum et mortuorum locis, non dixisset Dominus Jesus : *Contigit autem inopem illum mori, et efferri ab angelis in sinum Abrahæ*. Nunc ergo hic, nunc ibi esse potuerunt, qui hinc illuc, quem Dominus voluit, abstulerunt » (Aug., *De cura gerenda p. mort.*, cap. 15). Item idem doctor in libris de Trinitate sic dicit : « Quicunque de die in diem proficiendo renovatur in agnitione Dei, justitiaque ac sanctitate veritatis, transfert amorem de temporalibus ^c ad aeterna. In quo profecti et accessu, tenentem mediatoris fidem cum dies vitæ hujus ultimus ^d quemque compererit, perducendus ad Deum quem coluit, et ab eo persiciendus, excipietur ab angelis sanctis, incorruptibile corpus in fine saeculi non ad peñam, sed ad gloriam recepturus. »

CAPUT XI.

De timore mortis corporeæ.

Mortem carnis omnis homo timet, et mortem animæ pauci. Pro morte carnis, quæ sine dubio quandoque ventura est, omnes curant ne veniat : inde est quod laborant. Laborat, ne moriatur, homo moriturus, et non laborat, ne peccet, homo in aeternum victurus. Et cum laborat ne moriatur, sine causa laborat. Id enim agit, ut multum mors differatur, non ut evadatur ^e. Si autem peccare nolit, non laboravit ^f, et vivet in aeternum. O si possemus excitare homines, et cum ipsis pariter excitari, ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sumus vitæ fugientis ^g! Quid non facit ^h homo sub mortis periculo constitutus ? Gladio impendente cervicibus, prodiderunt homines quidquid sibi, unde

^a *Hujus temporis amatores.* D.

^b *Confirmamur.* B.

^c *In agnitionem Dei justitia et sanctitate veritatis, transfertur a morte ad vitam, et a temporalibus,* etc. L.

^d *Deest ultimus in D.*

^e *Eavadat.* L.

^f *Noluerit, non frustra laboravit.* L.

^g *Quales sunt homines amatores vitæ fugientis.* L.

^h *Fecit.* L.

ⁱ *Qui se.* L.

^j Lips. addit: *Et nullam deinceps formidare, an*

A viverent, reservabant. Quis non continuo prodidit ne percuteretur, et post prodictionem fortasse percussus est ? Quis non continuo, ut viveret, prodere voluit unde viveret, eligens vitam mendicantem, quam celarem mortem ? Cui dictum est, naviga ne moriaris, et distulit ? Cui dictum est, labora ne moriaris, et piger fuit ? Levia Deus jubet, ut in aeternum vivamus, et obedire negligimus. Non tibi dicit Deus : perde quidquid habes, ut vivas exiguo tempore in labore sollicitus ; sed : da pauperi unde habes, ut vivas semper sine labore securus. Accusat nos amatores vitae temporalis, quam nec cum volunt, nec quandiu volunt, habent. Et nos invicem non accusamus, tam pigri, tam tepidi ad capescendam vitam aeternam, quam si voluerimus, habebimus : cum habuerimus, B non amitteremus. Hanc autem mortem quam timemus, etiamsi noluerimus, habebimus.

CAPUT XII.

De differentia timoris, quare i unusquisque exploret, utrum tolerabilius sit plura genera mortium vivendo formidare, an unam ex his, que contigerit, sustineze.

« Quid interest, ait beatissimus Augustinus, quo mortis genere vita ista finiatur, quando ille cui finitur, iterum mori non cogitur ? Cum autem unicuique mortalium sub quotidianis vitae hujus casibus innumerabiles mortes quodammodo commimentur, quantum incertum est quenam earum ventura sit, quero utrum satius sit, unam perpeti moriendo, an omnes timere vivendo. Nam nec ignoro, quam citius eligatur diu vivere sub timore tot mortium, quam semel moriendo, nullam deinceps ^k formidare. Sed aliud est quod carnis sensus infirmiter pavidus refugit, aliud quod mentis ratio diligenter enucleata convincit. Mala mors putanda non est, quam bona vita praecesserit. Neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum curandum est eis qui necessario morituri sunt, quid accidat ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur. Cum igitur Christiani noverint, longe meliorem mortem religiosi pauperis suisse inter linguentium canum linguas, quam impi divitis in purpura et byssῳ, horrenda illa genera mortium quid mortuis obscurunt qui bene vixerunt ? (De Civ. Dei cap. 11.) ^l Quid est ista mors ? Relictio corporis, depositio sarcinæ gravis : sed si alia sarcina non portetur, qua homo in gehennam precipitur. De ipsa ergo morte Dominus dicit : *Mortem non vident in aeternum, qui sermonem meum servaverit* (Joan. VIII, 51). Non expavescamus istam mortem ^m, sed illam timeamus quæ gravior est. Quod autem est gravius, multi perverse timendo istam, incidunt in illam.

omnes semper, etc. Quod nec habent edit. S. Aug. a. Sant-Maurinis.

^k *Nullam deinceps.* L. et edit. S. Aug. Duacena vero deinceps non formidare.

^l Ab his verbis in editione Lips. incipit alterum caput cum hoc titulo : *Qua ratione consolentur hi, qui mortem corpoream vident.* Unde hic primus liber in editione Duacena constat capitibus 21, et in Lips. 22.

^m *Exparescamus istam mortem.* L. in qua etiam deest quæ gravior est.

Dictum aliquibus est: « Adorate idola: quod si non feceritis, interficiemini, aut quemadmodum ille Nabuchodonosor dixit: *Si non feceritis, mittemini in caminum ignis ardenti*s (Dan. iii, 18). Multi timuerunt, et adoraverunt, nolentes mori, et mortui sunt: timendo mortem quæ non evaditur, inciderunt in mortem, quam evadere feliciter possent, si istam quæ non evaditur infelicitate timerent. » Natus homo es, moriturus es. Quo ibis ut non moriaris? Quid facies ut non moriaris? Ut Dominus tuus necessitate te moriturum consolaretur, voluntate mori dignatus est. Quando vides Christum mortuum^a, designaris mori? Ergo moriturus es; quo evadas hoc, non habes; hodie sit, cras sit, futurum est: debitum est reddendum. Quid ergo agit homo fugiens, timens, occultans se, ne inveniatur ab inimico? Nunquid agit ut non moriatur? non^b, sed ut serius paulo moriatur: non accipit debiti securitatem, sed præstolatiōnem. Quantumlibet diu differatur, veniet tamen quod differtur. Nam mortem timeamus secundam, quæ istam carnis mortem excipit primam. Servemus ergo sermonem Dei in fide, per venturi ad speciem, cum acceperimus plenissimam libertatem. De patribus enim olim mortuis tale Dominus responsum Iudeis dedit, dicens: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Non est Deus mortuorum, sed virorum* (Matth. xxii, 32). Si ergo illi vivunt, laboremus sic vivere, ut cum illis vivere mereamur^c, cum mortui fuerimus; hoc enim illud est, quod Dominus dicit: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, rivet* (Joaq. xii, 25); id est, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit ad tempus in carne, vivit in anima, donec resurgat et caro, nunquam postea moritura.

CAPUT XIII.

De non timenda Christianis morte corporis, propterea quod justus ex fide vivit.

Ut ait ex hoc doctor et martyr beatus Cyprianus. « Ejus est mortem timere, qui ad Christum non vult ire; ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credit cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim: *Justus autem ex fide vivit* (Rom. i, 17). Si justus es, et ex fide vivis, si vere in Deum credis, cur non cum Christo futurus, et de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum vocaris,

^a Sino necessitate mortuum. L.

^b Deest non in L.

^c Pariter vivere possimus. L.

^d *Quis est justus*: desunt hæc verba in ed. Duac., sed habet Lip. et etiam Paris. a quodam monacho sancti Mauri absoluta anno 1726, cum qua cetera testimonia contulimus. Verum admonemus hoc loco lectorum, quod quamvis edit. Lip. Joan. Cochlaei frequenter consentiat cum editionibus sanctorum Patrum, quorun sententias in hoc opusculo laudantur, conculto tamen a nobis lectiones editionis Duacenæ, licet ab illis aliquanto diversas, in contextum admissas esse, quando aperte non repugnant auctoris sententiae. Cujus deliberationis duplex nobis ratio fuit: primum, quod consensus editionis Lips. cum editionibus sanctorum Patrum nobis valde suspectus sit, magis que videatur editoris diligenter tribuendus, qui sanctorum Patrum testimonia ad proprios fontes conformare curavit, opuscula unde desumpta sunt, anno 1726 ad marginem: quæ diligentia in Duacenæ desi-

A amplecteri, et quod diabolo careas, gratularis? Si meon denique ille justus, qui vere justus fuit^e, qui fide plena Dei precepta servavit, cum ei divinitus responsum fuisset quod non ante moreretur quam Christum Domini videret, et Christus infans in templo cum matre venisset, agnovit in spiritu natum esse Christum^f, de quo sibi fuerat ante predictum. Quo viso, scivit se cito esse moriturum. Lætus itaque de morte jam proxima, et de vicina accessione^g securus, accepit in manus puerum, et benedicens Deum, exclamavit et dixit: *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace, secundum verbum tuum: q.ia viderunt oculi mei salutare tuum* (Luc. ii, 25-30). Prohans scilicet^h atque contestans tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istius mundi turbinibus extracti, sedis et securitatis æternæ portum petimus, quando exfuncta vita hac, morte ad immortalitatemⁱ venimus. Illa est enim pax nostra, illa filia tranquillitas, illa stabilis et firma et perpetua securitas» (*Lib. de Mortalitate*, p. 229, edit. Paris. 1726).

CAPUT XIV.

Quibus ex causis timor mortis humanae valet temporari; et ut diem mortis potius amplecti quam timere debeamus; et quod magnus illic charorum numerus nos exspectet.

Predictus doctor ait: « Regnum Dei, fratres charissimi, esse cœpit in proximo: præmium vite, et gaudium salutis æternæ, et perpetua lœtitia, et possessio paradisi nuper amissa^j, mundo transeunte, jam vieniunt. Jam terrenis coelestia, et magna parvis, et caducis coelestia succedunt^k. Quis hic anxietatis et sollicitudinis locus est? Quis inter hæc trepidus et moestus est, nisi cui spes et fidès deest?» (S. Cypr. *Lib. de Mort.*) Item idem doctor post aliqua: « Quid aliud in mundo quam pugna adversus diabolum quotidie geritur, quam adversus jacula ejus et tela conflictationibus assiduis dimicatur? Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est; cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua et molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, et undique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata

D deratur, ut dubitare non licet, Boetium ejus curatorem nihil de suo codice pro arbitrio immulasse. Deinde, cum ipse Julianus asserat, in libello concordando majorum sententias semper atque doctrinam, non semper tamen illorum verba adhibuisse, sed nonnunquam proprio stylo conscripsisse, que in illorum libris legisse se meminerat, nemo lectionem Duacenæ edit. propterea rejiciendam putabit, quod totidem verbis non semper respondeat editionibus sanctorum Patrum.

^j Jam Christum. L.

^k De divina accessione. L.

^l Lips. habet semel pro scilicet, quod est in Duac. in qua paulo infra deest servis.

^m Quando extincta hac morte ad immortalitatem, etc. L. Edit. Paris. S. Cypr. Expuncta hac morte, et infra pax vera.

ⁿ Promissa. L. et edit. S. Cypr.

^o Æterna succedunt. L.

est, evsurgit libido; si libido compressa est, succedit ambitio; si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod divina lex prohibet; compelleris jurare, quod non licet. Tot persecutions animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur; et delectat hic inter diaboli gladios diu stare, cum magis concupiscendum sit et optandum, ad Christum subveniente velocius morte transire: ipso instruente et dicente notis: *Amen, amen dico vobis, quoniam plorabitis et flebitis vos, sacerulum autem gaudebit: vos tristes eritis, sed tristitia vestra in letitiam veniet* (*Joan. xvi, 20*). Quis non tristitia carere optet? Quis non ad letitiam venire festinet? Quando autem in letitiam veniet nostra tristitia, Dominus ipse denuo declarat dicens: *Iterum autem video vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tolleret a vobis* (*Ibid., 22*). Cum ergo Christum videre, gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum, nisi quis viderit Christum; quæ exæctas animi, quæve dementia est, amare pressuras, et poenas, et lacrymas mundi, et non festinare potius ad gaudium quod nunquam possit afferri? Hoc autem sit, quia fidem deest, quia nemo credit vera esse quæ Deus promittit, qui verax est, cuius sermo credentibus æternus et firmus est. Si tibi vir gravis et laudabilis aliquid polliceretur, haberes pollicenti fidem, nec te falli aut decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque actibus suis scires. Deus tecum loquitur, et tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus de hoc mundo recessenti æternitatem pollicetur, et dubitas? Hoc est omnino Deum non nosse, hoc est Christum credendi magistrum peccato incredulitatis offendere, hoc est in Ecclesia constitutum, fidem in domo fidei non habere. Quantum prosit exire de hoc sæculo, Christus ipse salutis atque utilitatis nostræ magister ostensil; qui, cum discipuli ejus conturbarentur, quod se jam dicceret recessorum, locutus est ad eos dicens: *Si me diligenteris, gauderetis, quoniam rado ad Patrem* (*Joan. xiv, 28*): docens et ostendens, cum chari quos diligimus de sæculo exeunt, gaudendum esse potius quam dolendum. Cujus rei memor beatus Paulus apostolus in Epistola sua ponit, et dicit: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Ad Philip. 1, 21*): lucrum maximum deputans, jam sæculi laqueis non teneri, jam nullis concupiscentiis et vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum presuris urgenteribus, et venenatis diaboli fauibus liberatum, ad letitiam salutis æternæ Christo vocante proficiisci.

Si igitur in Christo credimus, fidem verbis ejus habeamus, et non morituri in æternum, ad Christum cum quo victori et regnaturi sumus, leta securitate veniamus. Quod interim morimur, ad immortalitatem

A morte transgredimur. Nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire: non est exitus iste, sed transitus, et temporali itinere decurso ad æterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? Quis non immutari et reformari ad Christi speciem, et ad celestis gratiæ dignitatem citius exoptet? (*S. Cypr., lib. de Mort.*)

Item: « Venturus ad Christi sedem, et ad regnum cœlestium claritatem, lugere non debet et plangere, sed potius secundum pollicitationem Domini, secundum fidem veram, in sua profectione ac translatione gaudere (*Ibid.*)»

Item: « Ejus est in mundo diu manere velle, quem mundus oblectat, quem sæculum blandiens atque decipiens, illecebris terrenæ voluptatis invitat. Porro B cum mundus oderit Christianum, quid amas eum qui te odit, et non magis sequeris Christum qui te redemit et diligit (*Ibid.*)»

Item: « Mente integra, fide firma, virtute mentis robusta, parati ad omnem voluntatem Dei simus: pavore mortalitatis excluso, immortalitatem, quæ sequitur, cogitemus. Hoc nos ostendamus esse, quod credimus, ut nec charorum lugeamus excessum, et cum accessionis propriæ dies venerit, incunctanter et libenter ad Dominum, ipso vocante, perveniamus. Quod cum semper faciendum fuerit Dei servis, nunc fieri multo magis debet, corridente jam mundo, et malorum infestantium turbibibus obsesso: ut qui cernimus cœpisse jam gravia, et scimus imminere graviora, lucrum maximum deputemus, si istinc velocius C recedamus. Si in habitaculo tuo parietes ^b vetustate nutarent, tecta desuper tremerent ^b, domus jam fatigata, jam lassa, ædificis senectute labentibus, ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares? Si navigante te, turbida et procellosa tempestas, fluctibus violentius excitatis, pronuntiaret futura naufragia, nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat et labitur, et ruinam sui non senectute ⁱ rerum, sed fine testatur: et tu non Deo gratias agis? non tibi ^j gratularis quod exitu maturiore subtractus, ruinis et naufragiis et plagiis imminentibus exueris? »

D Item: « Amplexamur diem, qui assignat singulare domicilio suo: qui nos istinc ereptos, et laqueis secularibus exutos, paradiso restituit et regno. Quis non peregre constitutus properet ^k in patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidius exoptaret, ut velociter licet charos amplecti? Patriam nostram paradisum deputemus, parentes jam patriarchas habere cœpimus. Quid non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, et parentes nostros salutare possimus? Magnus illuc nos charorum exspectat numerus, parentum, fratribus, filiorum, frequens nos et copiosa turbaz-

^a Et delectatur. D.

^b Properare. L.

^c Et plangetis. L.

^d Immortalitatem, atque æternitatem. L.

^e Augenibus. Duac. editio.

^f Verbis et promissis ejus. L.

^g Si habitaculi tui parietes. L.

^h Tremiscerent. L.

ⁱ Non jam senectute. L.

^j Deest tibi in L.

^k Properaret. L.

desiderat: jam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita. Ad eorum conspectum et complexum venire, quanta et illis et nobis in commune letitia est? Qualis illic cœlestium regnum voluntas^a sine timore moriendi, et cum æternitate vivendi quam summa et perpetua felicitas? Illic est apostolorum gloriōsus chorus, illic prophetarum exultantium numerus, illic martyrum innumerabilis populus. Ad hos avida cupiditate properemus, ut cum ipsis cito esse possimus, ut cito ad Christum provenire contingat, optemus. Hanc cogitationem nostram Deus videat, hoc propositum mentis^b et fidei Christus aspiciat, datus eis claritatis suæ ampliora præmia, quorum circa se fuerint desideria majora.

CAPUT XV.

Quam contraria sit Dominicæ orationi nostra voluntas, quando et quotidie ut fiat voluntas Dei oramus, et transire ad eum insidente mortis metu nolumus, cum exemplo cuiusdam fratris, cui timenti exire de sæculo, increpans apparuit Christus.

De his prædicti doctoris sententia hæc est. Dicit enim: *Meminisse debemus voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus quotidie jussit orare. Quam præpostorum est, quam perversum^c, ut cum voluntatem Dei fieri postulemus, quando evocat nos et accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis ejus imperio pararemus? Obnützimur et reluctamur, et pervicacium more servorum ad conspectum Domini cum tristitia et moerore perducimur, exentes istinc necessitatibus vinculo, non obsequio voluntatis; et^d volumus ab eo præmiis coelestibus honorari, ad quem venimus inviti? Quid ergo oramus et petimus, ut adveniat regnum celorum, si terrena captivitas delectat? Quid precibus frequenter iteratis^e, rogamus et poscimus, ut acceleret^f dies regni, si majora desideria et vota potiora sunt, servire istic diabolo, quam regnare cum Christo? Denique ut manifestius divinæ providentiae indicia clarescerent, quod Dominus præscius futurorum suis consulat ad salutem; cum quidam de collegis et consacerdotibus nostris, infirmitate jam defessus, et de appropinquante morte sollicitus, comætum sibi precaretur, astitit deprecanti, et jam pene morienti juvenis, honore et majestate venerabilis, statu excelsus, et clarus aspectu, et quem assistenter sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod tam videre jam poterat de sæculo recessurus. Ad quem ille non sine quadam animi et vocis indignitate infrenauit, et dixit: Pati timetis, exire non vultis: quid faciam vobis?*

- *Quanta illic cœlestium regnum voluntas.* Duac.
- *Mensis nostræ.* L.
- *Quamque perversum.* L.
- *Et deest in Lip., sed habet Duac., cui consonat edit. S. Cypr.*
- *Reiteratio.* L.
- *Ita etiam edit. S. Cypr. Lip. vero acceleretur.*
- *Et monentis eum, qui de persecutione sollicitus, de accersione securus, non consentit, ita Lip. edit. S. Cypr. habet sollicitis.... securis.. desiderium. In reliquis consentit Duacenæ.*
- *Firmissimi.* L.

A *Increpantis vox est et monentis, qui de profactione sollicito, de accersione securu, non consentit^g ad præsens desiderio, sed consultit in futuro;* (S. Cypr., *De Mort.*).

CAPUT XVI.

Ne desperatione frangamur, cum imminente morte turbamur.

Solent quidam dicere: Nunquid animus Christiani etiam morte imminente debet turbari? Qui enim hæc dicunt, accipiant congruum sibi responsum. Firmi^h quidem sunt Christiani, si qui sunt, qui nequaquam morte imminente turbantur: sed nunquid Christo firmiores? Quis hoc insanissimus dixerit? Quid est ergo quod ille turbatus est, nisi quia infirmos in suo corpore, hoc est, in sua Ecclesia, suæ B infirmitatis similitudine i consolatus est? ut si qui suorum adhuc morte imminente turbantur, ipsum intueantur, nec hæc ipso se putent reprobos, et pejore desperationisⁱ morte absorbeantur? Quantum itaque bonum de participatione divinitatis ejus expectare et sperare debemus, cajus nos et perturbatione tranquillat, et infirmitas firmaat?

Nam et beatus Petrus apostolus, dicente sibi Domino: *Cum senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis^k* (Joan. xxi, 18), quid aliud nisi solitus a corpore volebat esse cum Christo? Sed si fieri posset, sublata mortis molestia, vitam concupiscebat æternam: ad quam mortis molestiam nolens ductus est, et reliquit hunc infirmitatis affectum. Quod nemo vult mori, adeo usque

C naturale est, ut^l hoc ipsi beato Petro nec senectus auferre potuerit: cui dictum est, cum senueris, ducendus es quo non vis. Ac proinde quantacunque sit molestia mortis, debet eam vincere vis amoris, quo amatuer ille, qui, cum sit vita nostra, etiam mortem voluit perferre pro nobis. Nam si nulla esset mortis vel parva molestia, non esset tam magna martyrum gloria.

CAPUT XVII.

Quod orationi in fine insistere debemus, et communicare nos fratrum precibus.

Cum extrema debiti finis imminet hora, oratio nos debet juvare^m continua. Si enim ad ignota vel longe posita loca in hoc mundo transire disponimus, medo nos fratrum orationibus commendamus, modo nos ipsos in ipso profactionis articulo continua lacrymarum inundationeⁿ perfundimus, precantes a Domino^o, ut placidis itinerum gressibus properemus. Et si haec tam studiose, manente adhuc complexu corporis et animæ, inter cognita sæculi agimus^p,

ⁱ *Voluntaria similitudine.* L.

^j *Ne hoc ipso se putantes reprobos, pejore desperatione.* L.

^k *Præcinget, et ducet qua non vis.* L.

^l *Duac. Ad quam mortis molestia nolens ductus est, et reliquit hunc infirmitatis affectum, quo nemo vult mori, usque adeo naturali, ut, etc.*

^m *Adjuvare.* L.

ⁿ *Exundatione.* L.

^o *Precantes Dominum.* L.

^p *Carnis et animæ, inter incognita sæculi.* Duac.

quanto studiosius in fine nostro facere debemus, cum ad illam regionem transitum facimus, ubi peracta separatione corporis ab anima, tam incogniti a perennius, ut nulla nobis hic dum vivimus cognitio maneat, utrum nos post mortem beata vita recipiat, an rapiamur exentes de corpore ^b ad tormenta? Nam quia et diabolus extrema vitæ nostræ suis laqueis innectere nititur, si in ipso exitu piis fratrum precibus et sedulis psalmodiæ officiis muniamur, longe ille semper repellitur, nec audet se nocitum divinis castis ingerere, ubi audit nomen Domini per ora concinentium fideliter resonare. Quosdam enim legimus in hora exitus sui, ab assistente diabolo, et insidiante, fraternis precibus et psalmodiæ frequenter liberatos. Unde non est dubium, quia cum pii fideles et verissimi Christiani ex hoc seculo transirent, si sedula et frequens fratrum adjuverit oratio, non eos audeat contingere malignorum spirituum cruenta incursio.

CAPUT XVIII.

Quod conditiones sepulturae, et curationes funerum debite fidelibus impendantur.

Licet curatio funeris ^c et conditio sepulturae seu pompa exsequiarum, magis sint vivorum solatia, quam subsidia mortuorum; non tamen contemnenda nec abicienda sunt corpora defunctorum, maximeque justorum atque fidelium, quibus tanquam organis et vasis ad omnia bona opera ^d sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis et annulus, ac si quid hujusmodi, in tantum posteris charus est, in quantum erga parentes major affectus est; quanto magis nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique tanto cunctius atque familiarius ^e, quam quelibet indumenta, gestamus (S. Aug., *de Cura pro mort.*, cap. 3, et *de Civit. lib.* 1, cap. 13). Ac proinde quidquid humano corpori impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium, secundam affectum, quo nemo unquam carnem suam odio habet. Unde oportet, ut qui potest ^f, pro carne proximi curam gerat, cum ille inde recesserit qui gerebat. Et si haec faciunt qui carnis resurrectionem non credunt, quanto magis debent facere qui credunt, ut corpori mortuo, sed tamen quandoque resurrecto et in æternitate mansuro, impensum hujusmodi officium sit etiam quodammodo ejusdem fidei testimonium. Nam et antiquorum justorum funera, officiosa pietate curata sunt, et exsequæ celebratae, et sepultura provisa (*Genes. ult.*). Ipsi quoque dum viverent de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus mandaverunt filiis (*Genes. xlvii, 30*). Et Tobias sepeliendo mortuos, Dominum promeruisse, teste angelo, commendatur (*Tob. xii, 12*). Ipse quoque Dominus die tertia resurrecturus,

A religiosæ mulieris opus bonum prædicat, prædicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super membra ejus effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit (*Matth.*, xxvi, 4). Et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum, diligenter atque honorifice tegendum sepeliendumque curarunt (*Matth.*, xxvii, 59, 60). Verum istæ auctoritates non hoc admonent, quod insit ullus cadaveribus sensus; sed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, mortuorum quoque corpora pertuere significant, propter resurrectionis fidem astriuendam ^g (S. Aug., *ubi supra*).

CAPUT XIX.

B Utrum prosit defunctis, si corpora eorum in ecclesiis tumulentur.

Cum quisque apud memorias martyrum sepelitur, hoc tantum prodest defuncto, ut commendans eum is, qui superstes est, martyrum patrocinio, affectus pro eo supplicationis augeatur. Cum ergo recolit animus, ubi sepultum sit charissimi corpus, et occurrit animo locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus. Qui tamen affectus cum defunctis a fidelibus charissimis exhibetur, eis prodesse non dubium est, qui cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt (S. Aug., *De Cura pro mort.*, c. 4).

CAPUT XX.

C Quod multum prosit mortuo in ecclesia tumulato fides, qua creditur, martyris apud quem conditur, putocinio adjuvari.

Plerique fidelium cum fidei præcedentis affectu, aut sua, aut suorum corpora apud memorias martyrum præcipiunt tumulari, non puto infructuosum esse quod creditur, aut inane, quod fideliter de divino auxilio speratur; tantum si non sint hujusmodi ^h, qui in ecclesiis sepeliuntur, insolubiles culpe, quæ eos non sinant, etiam oblatis Deo sacrificiis, adjuvari post mortem. Ac proinde si fides illa habere meritum creditur, qua quisque implorator pro defuncto i suo in locis martyrum tumulato deprecatur ⁱ; quanto magis illa fides spei suæ fructum consequitur, qua in vivente adhuc remediablem sui cadaveris ^k providet locum? Etenim sanctus Augustinus inquirenti de hac quæstione Paulino episcopo sic respondit: « Cum fidelis mater fidelis filii ^l corpus desideravit in basilicam martyris ponit, siquidem creditit ejus animam meritis martyris adjuvari, hoc quod ita creditit, supplicatio fuit ^m, et haec profuit, si quid proseruit. Et quod ad idem sepulcrum recurrit animo, et alium precibus magis magisque commendat, adjuvat defuncti spiritum, non

^a Ad tam incognita. L.

^b A corpore. L.

^c Duac. cum ratio funeris.

^d Opera perficienda. L.

^e Multo familiarius atque conjunctius. L.

^f Quam potest. D.

^g Tenendum. D.

^h Hujusmodi eorum. L.

ⁱ Quisquis ille impletus pro defuncto. D.

^j Deum deprecatur. L.

^k Sibi sui cadaveris. L.

^l Filii defuncti. Lips. et edit. S. Aug.

^m Supplicatio quædam fuit. L. et edit. S. Aug.

mortui corporis locus, sed ex loci memoria vivus A
matris affectus. Simil enim et quis, et cui commen-
datus sit, non utique infructuose religiosam mentem
rogantis attingit » (S. Aug., *De Cura pro mort. c. 5*).
Haec sanctissimi Augustini verba sunt, quibus cre-
ditur non esse fidem illorum vacuam, qui pie viven-
tes, suorum cadavera in memoriis martyrum præci-
piunt tumulanda : licet multis aliis rationibus, et
majorum didicerimus exemplis, quod illi damnabili-
ter in ecclesia tumulentur, qui usque in finem suum
sceleratissime vivunt. Nam meritum, per quod illis
ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita,
frustra queritur post hanc vitam. Ut enim hoc, quod
impenditur, possit eis prodesse post corpus, in ea
vita est acquisitum, quam quisque gessit in cor-
pore.

^a Non parva est universæ Ecclesiæ. D.
^b Sacrificia.... offeruntur. L.

CAPUT XXI.

*De oblationibus que pro fidelibus defunctis offe-
runtur.*

In Machabæorum libris legimus oblatum pro mor-
tuis sacrificium (*II Machab. XII, 43*). Sed etsi nus-
quam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non
parvipendenda esset universæ ecclesiæ ^a, quæ in hac
consuetudine claret, auctoritas : ubi in precibus sa-
cerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur,
locum suum habet etiam commendatio mortuorum.
Cum enim sacrificium Deo pro spiritibus defunctorum
offertur ^b, pro valde bonis gratiarum actiones
sunt, pro non valde bonis propitiaciones sunt, pro
valde malis, etiamsi nulla sint adjumenta mortuorum,
qualescumque tamen sunt consolationes viventium.
B Quibus tamen prosunt, aut ad hoc prosunt, ut plena
sit remissio, aut certe ut tolerabilior sit ipsa dam-
natio ^c.

^a Fiat ipsa damnatio. L.

LIBER SECUNDUS.

Quomodo se animæ defunctorum habeant ante resurrectionem corporum.

CAPUT PRIMUM.

De differentia paradisorum.

Unus est terrenus paradisus, ubi primorum homi-
num vita corporaliter exstitit : alter vero cœlestis,
ubi animæ beatorum, statim ut a corpore exeunt,
transferuntur, atque digna felicitate letantes, exspe-
ctant receptionem corporum suorum. De hoc para-
diso Julianus Pomerius ^a ait : « Hinc quoque viden-
tur animæ justorum duci, vel ire in paradisum rece-
dentes a corpore, quo se raptum dicit Apostolus,
mente profecto, non corpore. » Item idem post ali-
qua dicit : « Satis est dictum de paradiſo cœleſti ^b, et quod in eo sanctæ animæ statim de suis
corporibus exeunte, Deo donante, mittantur. Quod
ita debere credi, Dominus noster Jesus Christus sua
auctoritate firmavit, ubi latroni dicendo, *Hodie me-
cum eris in paradiſo* (*Luc. xxiii, 43*), sine ulla ambi-
guitate probavit, quod beatas animas suis exutæ
corporibus paradiſus cœlestis sine ullo intervallo
temporis suscipiat. »

CAPUT II.

*Ubi sit paradiſus, in quo beatorum animæ exutæ
corporibus requiescent.*

Legimus in beato Augustino, cum verba illa Apo-
stoli enucleatissime definiret, quibus se idem Apo-
stolus in tertium cœlum raptum fuisse commemorat
(*II Cor. XII, 2*), quod in tertio cœlo sit paradiſus, in

^a Julianus Pomerius in *Dialog. de Animæ natura*,
octo libris comprehenso, lib. viii qui, teste sancto
Isidoro, de resurrectione agebat, seu finibus hono-
rum et malorum, quod opus omnino periiit.

^b *Satis est de paradiſo cœlesti scire.* L.

^c *In quo.* D.

^d *Generali nomine quidquid.* L.

quo fuerit Apostolus raptus, et ubi beatorum animæ
locantur exutæ corporibus : definiens idem doctor,
C primum cœlum esse corporeum, secundum spiritale,
tertium mentale, in quod ^e mentis ascenditur con-
templatione, ita asserens : « Si primum cœlum recte
accipimus hoc omne corporeum, quidquid ^f est su-
per aquas et terram. Secundum autem in similitu-
dine corporali quod ^g ipsum cernitur, sicut illud,
unde animalibus plenus in extasi Petro discus ille
submissus est (*Act. x, 10, 11*). Tertium vero quod
mente conspicitur, ita secretum et remotum et om-
nino arreptum a sensibus carnis atque mundatum ^h,
ut ea quæ in illo sunt, et ipsam Dei substantiam,
Verbumque Deum per quem ⁱ facta sunt omnia, in
charitate sancti Spiritus ineffabiliter valeat videre et
audire, non incongruenter arbitramur et illuc esse
Apostolum raptum, et ibi paradiſum fortassis esse
omnibus meliorem, et si dici oporteat, paradiſum
paradisorum » (S. Aug., *De Gen. ad litt. lib. XII, c. 34*).

CAPUT III.

*Quid significet sinus Abrahæ, in quo beatorum animæ
recipiuntur.*

Sinum Abrahæ requiem patris, vel secretum ^k pa-
tris, sive etiam paradiſum significare, multiplicium
doctorum sententiis definitum esse non ambigo, cum
inter ceteros Ambrosius, Augustinus, atque Grego-

^o *Spiritu.* L.

^f Ita in Lips. et Duac. At vero S. August. editi li-
bri habent *ita secreta, et remota, et.... arrepta....*
atque mundata.

^g *Verbumque Dei per quod.* L.

^h *Secretum quietis æternæ.* L.

rius tanti patriarchæ sinum nihil aliud significasse A
• elegantius docuerint.

CAPUT IV.

De differentia inferorum.

De discretione inferorum in beati Augustini tractibus legisse me memini: ubi duo inferna esse manifestius dicit, ut unus infernus supra terram, alter vero sub terra infernus esse b accipiatur, secundum vocem Psalmistæ Deo confitentis: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori* (Psal. lxxxv, 13). Nam propter duo ista inferna missus est Filius Dei, undique liberans c. Ad hunc infernum missus est nascendo, ad illum moriendo. Et hec quidem dicens: « Infernum, ait, fratres d, nec ego expertus sum adhuc, nec vos, et fortasse alia via erit, et per infernum non erit: incerta sunt haec. Verum quia dicit Scriptura, cui contradici non potest: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, intelligimus tanquam duo inferna esse, superioris et inferius. Nam unde infernus inferior, nisi quia est et superior e (S. Aug., *Enarr. in psal. lxxxv, v. 13, n. 17?*), item aliam opinionem idem doctor sanctissimus ponit, dicens quod apud ipsos inferos sit aliqua pars inferior, ubi dives ille immaniter torquebatur, et aliqua pars superioris inferni, in quo Abraham cum Lazaro iacetabatur, ubi etiam omnes sancti ante adventum Christi habiti sunt. Sic enim prædictus doctor ait: « Fortassis apud inferos e est aliqua pars inferior, quo truduntur impii qui plurimum peccaverunt. Etenim apud inferos utrum in locis quibusdam jam fuisset Abraham, non satis possumus definire. Non-dam enim venerat Christus ad infernum f, ut erueret inde omnium sanctorum præcedentium animas, et tamen Abraham in requie ibi erat. Et quidem dives cum torqueretur apud inferos, cum videret Abraham, levavit oculos. Non enim posset levatis oculis videre, nisi ille esset superius, et ille inferius. Et quid ei respondit Abraham, cum diceret: *Pater Abraham, mitte Lazarum ut intingat digitum suum in aquam* b, et stillet in linguam meam, quam crucior in hac flamma? Fili, memento, ait, quia percepisti bona in vita tua, et Lazarus mala: Nunc autem hic requiescit, tu autem torqueris (Luc. xvi, 24, 25). Et super haec ait: Inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut nec nos possimus ire ad vos i, nec inde aliquis venire ad nos (Ibid., 26). » (S. Aug., *ubi supra, n. 18*). Haec ergo fortasse sunt duo inferna, quorum in uno quieverunt animæ sanctorum, in altero torquentur animæ impiorum.

• Quam id ipsum significasse. L.

» Superior super terram, alter vero infernus inferior sub terra esse. L.

c Nos utique liberans. Lip. ed. S. Aug. nos undique.

d Lips. Et hunc quidem dicens infernum (ait): Fratres.

e Lips. Infernum inferius, nisi quia infernum est superius.

f Apud ipsos inferos. L. et edit. S. August.

g Dominus venerat ad infernum. L. et edit. S. Aug.

CAPUT V.

Unde dictus sit infernus.

Infernus dictus est eo quod infra sit i. Sicut enim secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora, ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora. Unde et in Graeca lingua origo nominis, quo appellantur inferi, pro eo quod nihil sub se habeant, resonare prohibetur (S. Aug., *De Gen. ad litt. lib. xii, cap. 33, n. 66*).

CAPUT VI.

Quales sint inferi, vel si sint corporei.

« Est quædam, ut ait beatissimus Augustinus, inferorum substantia, sed eam spiritalem esse arbitrator, non corporalem. Nec audiendi sunt, qui affirmant inferos in hac vita explicari, neq; esse post mortem. Viderint enim quemadmodum poetica figura interpretentur: nos ab auctoritate divinarum Scripturarum, quibus solis de hac re fides habenda est, recedere non debemus » (S. Aug., *ubi supra, n. 62*).

CAPUT VII.

Qua ratione inferi sub terris esse credantur.

« Unde sub terris inferi esse credantur, si corporalia loca non sint, aut unde inferi appellantur, si sub terris non sunt (ut ait S. Augustinus) merito queritur. » Unde sic idem doctor ait: « Ideo sub terris inferi dicuntur, vel creduntur, quia congruent in spiritu, per illam corporalium rerum similitudinem sic demonstrantur, ut cum defunctionum animæ ¹ inferis dignæ, carnis amore peccaverunt, hoc per illas corporalium rerum similitudines exhibeatur, quod ipsi carni mortuæ solet exhiberi, ut sub terra recondatur (S. Aug., *ibid., n. 66*). »

CAPUT VIII.

Quod animæ beatorum statim ut a corpore exeunt, ad Christum in cælum vadunt.

De his interroganti Petro beatum Gregorium ita legimus respoudisse: « Hoc neque de omnibus justis fateri possumus, neque de omnibus negare. Nam sunt quorundam justorum animæ, quæ a cœlesti regno quibusdam adhuc mansionibus differunt: in quo dilationis damno quid aliud innuitur, nisi quia de perfecta justitia aliquid minus habuerunt? Et tamen luce clarius constat, quia perfectorum justorum ^m animæ, mox ut hujus carnis claustra exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur. Quod et ipsa D Veritas per se obtestatur dicens: *Ubicanque fuerit corpus, illuc congregabitur et aquilæ* (Matth. xxiv, 28); quia ubi Redemptor ipse est corpore, illuc procul dubio colliguntur et animæ justorum. Et Paulus dissolvi desiderat, et esse cum Christo (Philip. 1, 23). Qui ergo Christum in cœlo esse non dubitat, nec

b In aquam: desunt haec in L. et in ed. S. Aug.

i Venire ad vos. L.

j Inferi, eo quod infra sint, Latine appellantur. L.

k Nihil suave habeant. L., sed Durac. et edit. S. Aug. habent sub se.

l Per illas corporalium rerum similitudines sic demonstratur, ut quorum defunctionum animæ, etc. L. et edit. S. Aug.

m Perfectorum nostrorum. Sola edit. D. contra L. et S. Greg.

Pauli animam in celo esse negat, qui etiam de solutione sui corporis atque inhabitatione coelestis patriæ dicit (*II Cor. v, 1*): *Scimus quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in celis*; (S. Greg., *Dial. lib. iv, c. 25*).

CAPUT IX.

Quod nunc animæ defunctorum in quibusdam receptaculis teneantur.

Tempus quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animæ abditis receptaculis continentur, sicut unaquæque digna est, vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne vivens; (S. Aug., *Ench. c. 109*).

CAPUT X.

Quod animæ, que aliquid minus de perfectæ sanctitate habuerint, exentes de corpore, non statim collectur in coelestibus regnis.

Julianus Pomerius dicit: « Spiritus illi qui nec tam perfectæ sanctitatis hinc exeunt, ut ire in paradisum statim post depositionem suorum corporum possint, nec tam criminose ac damnabiliter vivunt, aut ita in suis criminibus perseverant, ut cum diabolo et angelis ejus damnari mereantur, Ecclesia hic pro eis efficaciter supplicante, pœnis & medicinalibus expiati, corpora sua cum beata immortalitate recipient, ac regni coelestis facti participes, in eo sine ullo defectu suæ beatitudinis permanebunt»; (Jul. Pom., *Dial. de animæ nat., lib. viii*).

CAPUT XI.

Quod ante resurrectionem corporum non sic videatur Deus a sanctis spiritibus defunctorum, sicut post resurrectionem videbitur: et qualiter nunc defunctorum animæ corpora sua desiderent recipere.

Ait ex hoc beatissimus Augustinus: « Si quidem movet, quid opus sit spiritibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si potest eis etiam sine corporibus summa illa beatitudo præberi, difficilior quidem quæstio est, quam ut possit perfecte hoc sermone definiri. Sed tamen minime dubitandum est, ereptam hominis a carnis sensibus mentem, et post mortem ipsa carne deposita, transiens etiam similitudinibus corporalium rerum, non sic videre posse incommutabilem substantiam, sicut sancti angeli vident, sive alia latentiore causa, sive ideo quia inest ei quidam appetitus naturalis corpus administrandi, quo appetitu retardatur, ne tota devotione perget in illud summum celum, quandiu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescit. Porro autem si tale sit corpus, cuius sit gravis et difficilis administratio, sicut hæc caro quæ

a Quia ædificationem sola Lips. et paulo inferius edit. S. Greg. habet sed æternam.

b Dum viveret. Lip.

c Non tam. L.

d A pœnis. L.

e Si quem movet. Lip. cum edit. S. Aug.

f Raptam. L.

g Aliter Duac. quam editio L. et S. Aug. Non sic vivere posse in incommutabili substantia, sicut angelis vivunt.

A corruptitur et aggravat animam (*Sep. ix, 45*), de propagine corruptionis existens, multo magis avertitur mens ab illa visione summi celo. Unde abripienda necessario erat ab ejusdem carnis sensibus ut ei, quomodo possit capere illud, ostenderetur. Proinde cum hoc corpus, non jam animal, sed per futuram commutationem reperit spiritale, angelis adæquata, perfectum habebit naturæ suæ modum, obediens et imperans, vivificata et vivificans, tam ineffabili facilitate, ut sit gloriæ, quod sarcinae fuit; (S. Aug., *De Gen. ad litt. lib. III, cap. 35*).

CAPUT XII.

Quod post descensum Christi ad inferos, animæ electorum non locis illis tenentur, ubi patriarcharum animæ tenet sunt, sed statim eant ad celum.

Antiqui patres usque ad adventum Domini, quamlibet juste vixerint, ducti ad regnum non sunt, nisi ille descendenter, qui paradisi claustra hominibus sua morte aperiret. Nam utique eos post perfectam justitiam, etsi tranquilla, tamen inferni claustra tenebant. Post mediatoris autem adventum in hoc mundo viventes, ut ait beatus Gregorius, ad regnum ducimur mox ut de corpore eximus, et illud sine mora percipimus, quod antiqui patres cum maxima percipere dilatione meruerunt.

CAPUT XIII.

Quod sicut animæ sanctorum post transitum ad celum vadunt, ita peccatorum animæ in infernum trudantur.

Si esse sanctorum animas in celo attestatione sacri eloquii credimus, oportet ut et iniquorum animas in inferno esse per omnia credamus; quia ex retributione æternæ justitiae ex qua justi gloriantur, necesse est ut et injusti per omnia crucientur. Nam sicut electos beatitudo glorificat, ita credi necesse est, quod a die & exitus sui ignis reprobos exurat.

CAPUT XIV.

Quod hi qui semel fuerint in infernum projecti, ibidem erunt in perpetuum permansuri.

In Salomonis libro scriptum est: *Lignum in quocunque loco ceciderit, sive ad austrum sive ad aquilonem, ibi erit* (*Eccle. ii, 3*): scilicet quia cum humani casus tempore, sive sanctus sive malignus spiritus egredientem animam a claustris carnis accepit, in æternum secum sine ulla permutatione retinebit, ut nec exaltata ad supplicium proruat, nec mersa æternis suppliciis ad remedium ¹ erectionis ascendat.

^b Locus iste aperite corruptus est in edit. Duac. in qua ita legitur: *Angelis adæquata perfectum naturæ suæ modum obediens, vivificata et imperans, et vivificans, tam inæstimabili felicitate, ut sit ei gloriæ, quod, etc. L.*

ⁱ Interpositione suæ mortis aperiret. L.

^j In hunc mundum venientis, ut ait, etc. L.

^k Quod die. D.

^l Ultra ad remedium. L.

CAPUT XV.

Quod non sit anima privata sensibus suis post mortem corporis.

In Cassiani voluminibus legimus (Joan. Cass., *collat. I, cap. 14, post. med.*) quod non sint otiosæ post separationem hujus corporis animæ, neque nihil sentiant, cum dives ille in inferno cruciari se in flamma ad Lazarum pauperem claimat (*Luc. XVI, 24*): et illud quod de cruce Dominus ad latroinem dixit: *Hodie mecum eris in paradyso* (*Luc. XXIII, 43*). Quod illi nequaquam Dominus promisisse, si ejus animam nosset post separationem carnis vel privandanam sensu, vel in nihilum resolvendam. Non enim earo ejus in paradyso, sed anima erat ingressura cum Christo. Quibus dictis, ut idem doctor ait, manifeste probatur animas defunctorum non solum *suis* sensibus non privari, sed nec istis quidem affectibus, id est, spe atque tristitia, gaudio atque meta carere, et ex eis quæ sibi in illo generali examine reservantur, quiddam eas jam incipere prægustare. Nec secundum opinionem quorundam infidelium, in nihilum eos resolvi post hujus vite excessum^a, sed vivacius subsistere, Deique laudibus intentius inhærente... Nonne ultra omnes ineptias, non dico fatuitatem, sed insaniam esse, vel leviter^b suspicari, illam pretiosiorem hominis portionem, in qua etiam *imago Dei*, secundum beatum Apostolum, ac similitudo consistit (*I Cor. XI; Coloss. III, 10*), deposita hac qua retunditur in praesenti sarcina corporali, insensibilem fieri, quæ omnem vim rationis in se continens, etiam ipsam multam atque insensibilem carnis^c substantiam participatione sui facit esse sensibilem? Cum utique consequens sit, et hoc rationis ipsius ordo contineat, ut exuta mens ista carnali pinguedine^d, intellectuales virtutes suas in melius reparet, et puriores eas et subtiliores recipiat potius quam amittat. In tantum hoc quod dicimus beatus Apostolus verum esse cognoscit, ut etiam optet ab hac carne discedere, ut separatione ejus enixius valeat Domino copulari, dicens: *Desiderium habeo dissociari, et cum Christo esse: multo enim melius* (*Philipp. I, 23*). Quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino^e, et indecirco audemus, et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Domum^f; propter quod contendimus sive praesentes, sive absentes placere illi (*II Cor. V, 6, 8, 9*). Commorationem scilicet animæ^g, quo in hæc carne est, peregrinationem a Domino atque absentiam a

^a Post hujus commorationis excessum. L.

^b Ita Duac. et edit. Cassiani. At Lips.: *Nonne ultra omnis ineptia; non dicam fatuitatem, sed insaniam est, vel leviter, etc.*

^c Materialiam carnis. L. et ed. Cas.

^d L. et C. e.d., qua nunc hebetatur pinguedine.

^e A Christo L.

^f Communicationem animæ. Duac.

^g Confidens. L.

^h Duacena: Profiteri animam habere posse similitudinem corporis, et corporalium omnino membrorum quisquis negat, etc. Hic sensus abs dubio obscur-

A Christo esse pronuntians, ejusque ab hac carne separationem atque discessum, praesentum ad Christum, tota credulitate confitensⁱ.

CAPUT XVI.

Quod anima similitudinem corporis habeat, et in eadem corporali similitudine requiem sentiat persequaque tormenta.

De anima humana, quod similitudinem corporis habeat, ista est sententia egregii doctoris Augustini. Ait enim: « Profiteor animam habere posse similitudinem corporis, et corporalium omnino membrorum: hoc quisquis negat^j, potest negare animam esse quæ in somnis videt, vel ambulare se vel sedere, vel huc atque illuc gressu vel etiam volatu ferrari, quod i sine quadam corporali similitudine non fit. Proinde si hanc similitudinem etiam apud inferos gerit, non corporalem, sed corpori similem, ita etiam recte in locis non corporalibus, sed corporalium similibus, sive in requie sive in doloribus est ». (S. Aug., *De Gen. ad litt. lib. XII, cap. 33*).

CAPUT XVII.

An anima, cum incorporea sit, igne credatur corporatio cruciari.

Si vivantis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne i teneatur? Teneri autem per ignem spiritum dicimus, ut in tormento ignis sit videndo atque sentiendo. Ignem namque eo ipso quod videt, patitur, et quia cremare se^k aspicit, crematur. Sicque fit, ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor invisibilis trahitur, ut mens incorporea per ignem corporeum etiam corporea flamma crucietur. Quamvis colligere ex dictis evangelicis possumus, quia incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur. Veritatis enim voce, dives mortui in inferno dicuntur sepulchri. Cujus anima quia in igne teneatur, insinuat, qui Abraham deprecatur^l, dicens: *Mitte Lazarum, ut intingat extrellum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam; quia crucior in hoc flamma* (*Luc. XVI, 24*). Dum ergo peccatores divitem damnum in ignibus perhibet, quisnam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget?

CAPUT XVIII.

Quod unus sit gehenna ignis, et non uno modo cruciat peccatores.

Unus quidem est gehenna ignis, sed non uno modo omnes ericiat peccatores. Uniuscujusque enim

rus est, et corruptus contextus: quare ex Lips. emendavimus, prout legitur etiam in Augustino. Cartera aliquantum discrepant, sed absque ullo errore, vel sententiae inversione: itaque retinuimus Duaceman.

ⁱ Videtur vel ambulare, vel sedere, vel hac atque illuc gressu, vel etiam volatu avolare, quæ, etc. Lips. cum S. August. edit.

^j Incorporeo igne. L.

^k Concremari se. L.

^l Deprecabatur. L.

A quantum exigit culpa, tantum illic sentietur et poenae^a. Nam sicut in hoc mundo multi sub uno sole consistunt, nec tamen ejusdem solis ardorem aequaliter sentiunt, quia alius plus austuat, alius vero minus^b; ita illic in uno igne non unus est modus incendi, quia quod hic diversitas corporum^c, hoc agit illic diversitas peccatorum, ut et ignem non dissimilem habeant, et tamen eosdem singulos dissimiliter exurat.

CAPUT XIX.

Quo post mortem purgatorius ignis esse credatur.

Purgatorium ignem post mortem esse, multorum tractatorum cognovimus sententiis evidenter definitum. Inter quos Augustinus doctor egregius, licet eum in hac vita fidelibus accidere posse testetur, tamen et post mortem definit eum quibusdam^d esse futurum, contestans quod ignis ille purgatorius, qui nunc a quibusdam contemnitur et parvus putatur, multo gravior existat, quam quidquid homo potest pati in hac vita (Aug., *Enarr. in psal. xxxvii*, n. 3). Gregorius quoque de hoc purgatorio igne sic dicit: « Pro quibusdam levibus culpis ante judicium purgatorius ignis esse credendus est pro eo quod Veritas dicit, quia si quis in Spiritum^e sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc saeculo neque in futuro remittetur ei (*Math. xii*, 32). In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc saeculo, quasdam vero relaxari in futuro » (S. Greg., *Dial. lib. iv, cap. 39*). Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet quia de quibusdam conceditur. Sed tamen, ut dixi, hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curae rei familiaris, quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciunt, aut non in gravibus rebus error ignorantiae, quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita possitis minime fuerint relaxata. Namque cum Paulus dicat Christum esse fundamentum, atque subiungat: *Si quis ædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna^f, fenum, stipulam, ... uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Si cuius opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem (I Cor. iii, 12, 13, 14, 15). Quamvis hoc i de igne tribulationis nobis in hac vita adhibito possit intelligi, tamen si quis hoc de igne futurae purgationis accipiat, pensandum summopere est i, quia illum dixit per ignem quidem posse salvare, non qui super hoc fundamentum æs, ferrum, plumbum ædificat, id est, peccata majora, et idcirco duriora, atque tunc jam insolubilia; sed lignum, fenum, stipulam, id est, peccata minima, atque

levissima, quæ ignis facile consumat. Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis quisque nihil purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promeretur.

CAPUT XX.

Quod alias sit ignis purgatorius, quo plerique salvandi esse creduntur, alias ille, in quo impi, Christo judicante, mergendi sunt.

Beato Augustino distinguente cognoscimus (*Enarr. 2 in psal. xxix*, n. 2), quod alter sit ille ignis futurus, de quo impiis Christo judicante dicendum est: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Math. xxv*, 41); alter iste, qui purgatorius propriæ appellatur, propter eos qui per eum salvi sunt. Per illum enim^g qui futurus est impiis, nullus salvabitur, quia juxta quod scriptum est: *Ibunt hi in supplicium æternum* (*Ibid.*, 46). Per istum autem ignem qui probat et purgat, salvatio manifesta promittitur. Nam juxta quod predictus doctor ait: Si autem ignem illum loco isto voluerimus accipere, de quo Dominus dicit sinistris: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum*, ut in eis etiam isti esse credantur, qui ædificant super fundamentum hoc ligna, fenum, stipulam, eosque ex illo igne post tempus pro malis meritis imperitum liberet boii operis fundamentum; quid arbitramur dextros, quibus dicetur: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* (*Ibid.*, 34), nisi eos qui ædificant super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos? Sed in illum ignem de quo dictum est, *Sic tamen quasi per ignem* (I Cor. iii, 15), si hoc modo intelligatur, utriusque mittendi sunt, et dextri scilicet, et sinistri. Utrique quippe illo igne probandi sunt, de quo dictum est: *Dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit* (I Cor. iii, 13). Si ergo utrumque probabit ignis, ut si cuius opus manserit, id est, non fuerit igne consumptum quod superædificavit, mercedem accipiet, si cuius opus arserit, detrimentum patietur; profecto non est æternus ille ignis. In illum enim soli sinistri novissima et perpetua damnatione mittentur, iste autem ignis solos dextros probat. Sed alios eorum sic probat, ut ædificium, quod super Christum fundamentum ab eis invenerit esse constructum, non exurat neque consumat; alios autem aliter, id est, ut quod superædificaverunt, ardeat, damnumque patiatur, salvi autem sunt; quoniam Christum in fundamento stabilius possum præcelenti charitate tenuerunt. Si autem salvi sunt, profecto ad dexteram stabunt, et cum ceteris audiunt: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* (*Math. xxv*, 34). Non ad sinistram, ubi erunt qui salvandi non erunt, et ideo audiunt: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum*.

^a *Unusquisque etenim quantum exigit culpa, tantum illic sentiet et paenam.* L.

^b *Et alias plus... et alias minus.* L.

^c *Diversitas operum.* L.

^d *Deest evidenter in Lips.*

^e *Pro levibus culpis, quibusdam, etc.* L.

^f *Sancto Spiritui. L.*

^g *Superædificaverit. L.*

^h *Lignum. L.*

ⁱ *Hoc deest in Duac.*

^j *Solicite est. L.*

^k *Deest enim in Duac.*

*num (Matth. xxv, 41). Nemo quippe ab illo igne salva-
bitur, quia in supplicium æternum omnes illi ibunt, ubi
termis eorum non moritur, et ignis eorum non extin-
guitur (Marc. ix, 45).*

CAPUT XXI.

*Quod ignem purgatorium non post ultimum judicium,
sed ante perferant animæ.*

De poenis purgatoriis, quod ante illud ultimum judicium fiant, sanctus Augustinus desūtanit ponens sententiam ait : « Nos quidem in hac mortali vita poenas quasdam purgatorias esse consitemur ; . . . sed temporales poenas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii tunc, et nunc. Verumtamen ante illud judicium severissimum & novissimumque patiuntur; non autem omnes venient in sempiternas poenas, quæ post illud ultimum judicium sunt futuræ, qui post mortem sustinent temporales. Nam quibusdam quod in isto non remittitur, remittetur in futuro sèculo, id est, ne futuri seculi æterno supplicio puniantur » (Aug. de Civit. Dei, lib. xxi, cap. 13).^a Nam quomodo quibus peccatum in isto sèculo remittitur, in futuro æterno supplicio puniantur? Unde et post aliquanta idem doctor : « Quisquis igitur, ait, poenas cupit evadere sempiternas, non solum baptizetur, verum etiam justificetur in Christo, ac sic & vere transeat a diabolo ad Christum. Purgatorias autem poenas nullus futuras opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumque judicium », (Ibid., cap. 16). Tanti ergo doctoris confirmati sententia fatemur, quod purgatorius hic ignis ante ultimum judicium flat, et ignem illum, in quo omnes impii, Christo judicante, mergendi sunt, antecedat.

CAPUT XXII.

*Utrum hi qui in purgatorio tñne salvandi sunt, usque
ad tempus resurrectionis, an infra cruciari cre-
dantur.*

Puto quod sicut non omnes reprobri qui in æternum ignem damnandi sunt, una eademque supplicii qualitate ardebunt^d, sic omnes qui per graves purgatorias poenas salvi esse creduntur, non uno eodemque spatio temporis cruciatu spirituum sustinebunt^e : ut quod in reprobis discretione poenarum, hoc in istis qui per ignem salvandi sunt, mensura temporis agitetur. Sed tanto illis minus vel maius ignis purgatoriæ extendetur supplicium, quanto hic minus vel amplius bona temporalia^f dilexerunt : juxta illud quod beatus Augustinus in suis libris de poenis purgatoriis agens, inter cætera sic dicit : « Tale etiam aliiquid post hanc vitam fieri incredibile non est, et utrum ita sit queri potest, et aut inveniri, aut latere nonnullos fidelium per ignem purgatorium quanto magis minusve bona^g pereuntia dilexerunt,

^a Duac. pro severissimum, habet ultimum.

^b Tota hec periodus usque ad unde et post ali-
quanta, desideratur in Lips.

^c Acs. Lips.

^d In æterno igne mergendi sunt, una eademque sup-
plicii qualitate damnandi sunt. L.

^e Non in uno eodemque spatio cruciatu spiritus sus-
tinebunt. L.

A tanto tardius citiusve salvari. Non tamen tales de quibus dictum est, quod regnum Dei non posside-debunt (I Cor. vi, 10; Galat. v, 21), nisi convenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Convenienter autem dixi, ut steriles in eleemosynis non sint » (Aug., Ench. cap. 69).

CAPUT XXIII.

*Quod ad tribulationem purgatorii ignis mors ista
pertineat carnis.*

De purgatoriis prænis doctor egregius disputans Augustinus : Potest, ait, ad istam tribulationem pertinere etiam mors ista carnis, quæ de primi peccati perpetratione concepta est, ut secundum cujusque ædificium tempus quod eam sequitur, ab unoquoque sentiator. Persecutiones quoque, quibus martyres coronantur, et quas patiuntur quicunque Christiani, probant utraque ædificia velut ignis; et alia consumunt^h cum ipsis ædificatoribus, si Christum in eis non inveniunt fundamentum, alia sine ipsis, si inveniunt; quia licet cum damno, salvi tamen erunt ipsi : alia vero non consumunt, quia talia reperiunt, quæ maneant in æternum.

CAPUT XXIV.

*Utrum animæ mortuorum se invicem, et quos nusquam
viderunt, agnoscant.*

Quod se animæ defunctorum exutæ corporibus i recognoscere invicem i possint, testatur Evangelista cum dicit : Factum est, ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ : mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. Et elevans oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longinquⁱ & Lazarum in sinu ejus. Et ipse dixit : Pater Abraham, mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret lingua meam, quia crucior in hac flamma (Luc. xvi, 22-24). Ecce quomodo divitis anima Lazari pauperis spiritum cognoscebat. Ex quo non est dubitandum, quod se defunctorum spiritus in illa regione pariter recognoscant. Possunt enim et boni bonos, et mali malos recognoscere. « Si enim, ut ait Gregorius, Abraham Lazarum minime cognovisset, nequaquam ad divitem in tormentis positum, de ejus transacta contritione loqueretur dicens, quod mala receperit in vita sua. Et si mali malos non recognoscerent, nequaquam dives in tormentis positus, fratrum suorum etiam absentium meminisset. Quomodo enim præsentes non posset cognoscere, qui etiam pro absentium memoria curavit exorare? Quia in re illud quoque ostenditur, quia et boni malos, et mali cognoscunt bonos. Nam et dives ab Abraham cognoscitur, cui dictum est : Recepisti bona in vita tua. Et electus Lazarus a reprobo divite est cognitus, quem

^f Transitoria. L.

^g Sua bona. L.

^h Quicunque Christi probantur, utraque ædificia, velut ignis, et alia consumunt. L.

ⁱ A corporibus. L.

^j Invicem deest in Lip.

^k Elevans autem . . . vidit Abraham a longe. Lip.; . et infra : ut intingat . . . in aqua.

mitti precatur ex nomine dicens : *Mitte Lazarum.* In qua videlicet cognitione a utriusque partis cumulus retributionis excrescat, ut et boni amplius gaudent, qui secum eos lætari conspiciunt, quos amaverunt; et mali cum eis torqueantur, quos in hoc mundo dilexerunt : ut eos non solum sua, sed etiam b eorum poena consumat. Fit autem in electis quidam mirabilius : quia non solum eos agnoscunt, quos in hoc mundo neverant, sed velut visos et cognitos recognoscunt bonos quos nunquam viderunt. Nam cum antiquos patres in illa æterna hereditate viderint, eis incogniti per visionem non erunt, quos in operibus c semper neverunt. Quia enim illie omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt ? (S. Greg. *Dial. lib. iv, cap. 33*) ?

CAPUT XXV.

Utrum animæ beatorum orare videantur pro his quos in inferno sentiunt.

Orant pro inimicis suis eo tempore animæ beatorum, ut ait beatus Gregorius, quo possunt ad fructuosam penitentiam eorum corda convertere, atque ipsa conversione salvare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod ait Apostolus, *ut deis Deus penitentiam, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem* (II Timoth. ii, 25, 26) ? Et quomodo pro illis tunc orabitur, qui ja*n* nullatenus possunt ad justitiae opera ab iniquitate commutari ? Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne d^a damnatis, quæ nunc causa est, ut non oretur pro diabolo angelisque ejus æterno supplicio deputatis. Ipsa nunc etiam causa est, ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis, quia de eis utique quos æterno supplicio deputatos jam neverunt, ante illum justi judicis conspectum orationis suæ moritum cassari refugint. Quod si nunc quoque viventes justi mortuis et damnatis injustis minime compatuntur, quando adhuc aliquid judicabile de sua carne se perpeti, etiam ipsi neverunt; quanto districtius tunc iniquorum tormenta respicient *, quando jam ab omni vitio corruptionis exuji, ipsi jam justitiae vicinius atque ardentius f inhaerentur ? Sic quippe eorum mentes, per hoc quod justissimo judici inharent, vis districtiois absorbet, ut omnino eis non liberat, quidquid ab illius regule interne subtilitate discordat, (S. Greg. *Dial. lib. iv, cap. 44*).

CAPUT XXVI.

Utrum animæ mortuorum orent pro salute charorum viventium.

Si sepultus dives in inferno, Abraham pro fratri-

* Lips. *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua ut refrigetur lingua meam. In qua fideli cognitione, etc.*

b Lips. *Et mali dum cum eis torquentur, quos in hoc mundo despicio Deo dilexerunt, eos non solum sua sed etiam, etc.*

c In opere. L.

d Æternio supplicio. D.

e Aspiciunt. D.

f Arctius. L.

g In loca tormentorum. L.

A bus orat, ut admoneantur, ne et ipsi in iniqua tormenta deveniant (*Luc. xvi, 27, 28*), quomodo piorum animæ, et maxime in requie constituta, charorum superstitione creduntur sollicitudinem amisisse ? Orare ergo possunt pro salute viventium, in quantum a Domino permittuntur : nam utique recordari veraciter possunt, quos in hoc saeculo positi dilexerunt : sensum enim, quo viventes cum viventibus adsuerunt b, non amisisse, sed liberiorem illic habere credendæ sunt, ubi onere corporali gravari non possunt. Nam juxta divinam sententiam, *corpus corruptibile aggravat animam* (*Sap. ix, 15*) : ergo anima quæ nunc corpore gravatur, liberior corpore absoluta efficitur. Est igitur animæ post mortem et sensus integer, et memoria plena. Ergo anima quæ illic

B certo recordationis officio utitur, proximorum dulcedinis recordatur. Recordans ergo quos amavit in saeculo, commendare eos potest precibus Christo : quamquam nihil aliud orationes fidelium animarum, quam desiderium earum accipiatur i. Illud quoque dico, quod celeberrima sit in hac re Ecclesiæ consuetudo, cum se morituris commendat, et memores eos sui esse præceptat i. Sic martyribus, cum morentur, superstitione charorum se familiaritas commendavit : sic se quotidie piorum turba fidelium evocandis ab hoc saeculo electis animabus committit, et ut semper sui sint memores, poscit. Nec enim fides viventium i. a morientibus k posceret, si apud se certum haberet, quod in nullo eos juvare possent post mortem. Sed quia tantæ auctoritatis sollicitudo non præterit, sequens rei multoties effectus probavit, cum ea quæ plerique viventes a morientibus sibi fieri petunt, sine dilationis damno consequuntur i. Hæc ergo mihi videtur de hac objecta quæstiuncula ratio, quam etsi ipsis verbis, ut est a majoribus evoluta, non invenio, ipso tamen sensu definitam ab auctoribus puto, quanquam etsi aliquid ex hoc ab eis definitum reperero, illorum potius sententiam assequar m.

CAPUT XXVII.

Utrum contristari vel lætari possint animæ defunctorum pro viventium charorum salute : seu tristitia aut qualibet cura vivorum moveantur n.

D Si nulla esset mortuis cura de vivis, non utique dives ille qui torquebatur apud inferos, sollicitus esset pro fratribus suis, dicens ad Abraham : *Rogote, pater, ut mittas Lazarum in domum patris mei : habeo enim quinque fratres : ut testetur illis, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum* (*Luc. xvi,*

b Fuerunt. L.

i Fidelium defunctorum animarum, quam desideria eorum accipiuntur. L.

k Consuetudo fidelium, cum se... commendant, et... præceptant. L.

l A transeuntibus. L. Paulo post pro certum, habet Duacema incertum : forte legendum fuit in certo.

1 Percipiunt. L.

m Reperio, illorum potius sententiam assequor. D.

n Moveantur deest in Duac.

27. 28). Ita ergo mortui a curam babere possunt de A vivis, quamvis nesciant quid in praesenti agatur a nobis : sicut viventes curam babere possumus de mortuis, quamlibet ignoremus quid agatur ab illis. Si enim pro mortuis nulla esset cura viventibus, non utique pro eis crebro b oblatis sacrificiis precaremur. Haec et his similia sanctus Augustinus in suis voluminibus ponens, hoc unum ponit exemplum, quod non est mediocriter admirandum : « Audivimus, ait idem doctor, quod cum debitum repeteretur a quodam, defuncti patris cautione prolata, quod filio nesciente a patre jam fuerat persolutum, contristari homo gravissime coepit, atque mirari c, quod ei pater moriens non dixerit quid deberet, cum fecisset etiam testamentum. Tunc ei nimis anxius apparuit idem pater ejus in somnis, et ubi esset reconditum d quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit. Quo invento juvenis atque monstrato, non solum falsi debiti calumniam propulsavit, sed etiam paternum recepit chirographum, quod pater non receperat, quando est pecunia persoluta. Hinc utique putatur anima hominis curam gessisse pro filio, et ad eum venisse dormientem, ut docens quod ignorabat, a magna eum molestia liberaret » (S. Aug., *De Cura pro mort.*, cap. 11).

CAPUT XXVIII.

Quod patriarchæ, prophetæ, et apostoli, omnesque beatorum spiritus nos ardenter secum gavisuros

a Attamen mortui. D.

b Dominum crebro, etc. L.

c Atque mirari. Desunt hæc in Duac. sed habet L. et ed. S. Aug.

d Reconditum. Ita utraque nostr. ed. L. et Duac. In ed. S. Aug. legitur *recautum*, et in aliis cod. *repositum*.

e Quæ ignorabat, magna molestia liberaret. L. et similiter.

f Nostra peccata. L.

g Credis. D.

h Sanctos patres. L.

i Nondum desideratur in D.

j Perperam ex hoc loco colliget aliquis Origenem, et cum eo Julianum nostrum, in ea suis sententia, que, licet veterum nonnulli tenuerint olim, nunc jam ab Ecclesia proscripta est, justorum quorumcunque animas, etiam plene ab omni labore purgatas, ante extremum judicii diem intuitiva ac beatissima Dei visione minime donandas esse. Quod hic observari operæ pretium est, propterea quod ab hujus temporis hereticis, qui hujusmodi errorem amplexati sunt, valde urgetur hic Origenis locus : qui quidem, ut in aliis scriptis erraverit, hic certe nihil docet ab orthodoxa fide alienum. Loquituren, non de justorum gloria essentiali, qua in visione clara Dei ejusque fruptione consistit, quæque jam semel adepiam nullare minui potest, vel augeri; sed de letitia quam theologi vocant accidentalem, quæ, ut multa sunt quibus potest amplior fieri, non erit certe completæ ante extremum judicium. Augetur autem hujusmodi gaudium in beatis, verbi gratia, ex peccatorum conversione, veraque illorum pœnitentia, ut habemus in Evangelio (*Luc. xv, 7*), tum ex parentum, amicorum, charorumque æterna salute ; ac demum propriæ uniuscujusque corporis resurrectione atque glorificatione complebitur. Quod ei ipsa Apostoli verba, quem suæ sententiae vatem proferebat Origenes, aperte innovavit : namque, ut alias interpretationes justissi-

exspectent; et quod non sit illis perfecta letitia, donec pro nostris erroribus dolent.

De his ita Origenes doctor in suis dogmatibus docet, dicens : « Neque enim hinc discedentes sancti continuo integra meritorum suorum præmia consequuntur, sed exspectant etiam nos, licet morantes, licet desides. Non enim illis est perfecta letitia, donec pro erroribus nostris dolent, et lugent peccata f. Hoc fortasse mibi dicenti non credas g : quis enim ego sum, qui confirmare sententiam tanti dogmatis audeam ? Sed adhibeo horum testem, de quo non potest dubitari. Magister enim gentium est in fide et veritate Paulus apostolus. Ipse igitur ad Hebreos scribens, cum enumerasset omnes sanctos h qui per fidem justificati sunt, addit post omnia etiam hoc : Sed isti, inquit, omnes, testimonium habentes per fidem, nondum i assecuti sunt reprobationem a Deo : Deo pro nobis aliquid melius proridente, ne sine nobis perfectiū consequerentur (Hebr. xi, 39, 40). Vides ergo quia exspectat adhuc Abraham, ut quæ perfecta sint consequatur : exspectat et Isaac, et Jacob, et omnes prophetæ exspectant nos, ut nobiscum perfectam beatitudinem capiant. Propter hoc etiam, mysterium illud in ultimum diem dilati judicii custoditur : unum enim corpus est, quod justificari exspectatur, unum corpus est, quod resurgere dicitur in judicio; licet enim sint multa membra, sed unum corpus » (I Cor. xii, 12) (Orig., hom. 7 in Levit.). i Non potest occu-

mas omittamus, non inquit Apostolus : Ne sine nobis coronarentur, sed perfectionem consequerentur, sive, ut habet Vulgata nostra, consummarentur : quasi non essentiale ac præcipuum suarum virtutum mercedem dilatam, sed quoddam letitiae complementum accidentale significare vellet, quod ante nos discedentes non essent ante nos accepturi, quippe ex nostro consortio atque ejusdem felicitatis participatione exsurgens. Id ipsum postrema Origenis verba demonstrant, quibus ea quæ de singulis beatis statuerat ad beatorum omnium caput et exemplar transferens, ne ipsum quidem Christum Dominum, qui s. dei jam ad dexteram Patris sui, perfecta fructuorum letitia concludit, donec ab electis suis, quorum est caput, divulsius quodammodo videatur. Quæ verba quis est qui de quadam letitiae accidentalis accessione non interpretetur? Illud deinceps quod initio ait, non esse sanctis in celo perfectam letitiam, donec pro erroribus nostris dolent, et lugent peccata nostra, caute intelligendum est : quatenus ita peccata nostra detestantur, adeoque vehementer veillent nullum a nobis admitti scelus, ut, si fieri posset, tristarentur ac præ dolore lacrymas funderent, quo loquendi genere et angeli pacis amare stiere dicuntur in Scriptura. Sed nimur habitant iam cum Christo regnantes in pacis et letitiae regione, in qua nullus amplius eos luctus, nullus clamor, neque dolor, ultra tentabit, quoniam absterrit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Itaque felicissimam sorteim adepti, a qua nulla prorsus re deturbari poterunt, gaudere quidem ac letari amplius, iis quibus aiebam rebus, valent, tristari tamen earum absentia ac dolore affici non valent. Sed nimis fortasse pro instituto nostro. Qui plura velet, consultat in eam quæstionem celebriores de Schola theologos, D. Thomam 1-2, q. 4, art. 5; Bellarmineum contr. 7, lib. 1, c. 2, et sequentibus, tum alios, quos percensere non vacat, sed quos legisse non potuisse.

Ius dicere manui : Non es mihi necessaria. Etiamsi sanus sit oculus, et non sit turbatus, quantum pertinet ad videndum ; si desint oculo reliqua membra, quae erit ei laetitia ? aut quæ videbitur esse perfectio, si manus non habeat, si pedes desint, aut reliqua membra non adsint ? Quia etsi est aliqua oculi gloria, in eo maxime est, ut vel ipse dux sit corporis, vel ceterorum membrorum non deseratur officiis. Hoc autem nos et per illam Ezechielis visionem diceri puto, cum dicit congregandum esse os ad os, et juncturam ad juncturam, et nervos, et venas, ac singula locis suis esse reparanda. Denique vide quid dicit propheta : *Ossa, inquit, ista* : non dixit : Omnes homines sunt, sed dixit : *Ossa ista domus Israel sunt* (*Ezech. xxxvii, 11*). Habebis ergo laetitiam de hac vita discedens, si fueris sanctus; sed tunc erit perfecta laetitia, cum nulla tibi corporis membrum deerit ^c. Exspectabis enim et tu alios, sicut et tu exspectatus es ^d. Quod si tibi, qui membrum es, non videbitur esse perfecta laetitia, si desit aliud membrum, quanto magis Dominus et Salvator noster, qui caput est totius corporis, non sibi dicit perfectam esse laetitiam, donec aliquid ex membris deesse corpori suo videt !

CAPUT XXIX.

Utrum scire possint mortui quid agant vivi.

¶ Fatendum est, ut ait beatus Augustinus, nescire quidem mortuos quid hic agatur a vivis : sed dum hic agitur, postea audire possunt ab eis qui hinc ad eos moriendo pergunt : non quidem omnia, sed quæ sinuntur indicare, qui sinuntur etiam ista memnisse, et quæ illos, quibus haec indicant, oportet audire Possunt et ab angelis, qui rebus quæ hic aguntur præsto sunt, aliquid audire mortui, quod unumquenque eorum audire debere judicat cui cuncta subjecta sunt. Nisi enim essent angeli qui possent interesse vivorum et mortuorum locis, non dixisset Dominus Jesus : *Contigit autem mori inopem illum, et deferri ab angelis in sinum Abrahæ* (*Luc. xvi, 22*). Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua quæ hic aguntur, et quæ necessarium est eos nosse ^e, non solum presentia et preterita, verum et futura, spiritu Dei revelante, cognoscere ; sicut non omnes homines, sed prophetæ, dum hic viverent, cognoscebant : nec ipsi omnia, sed quæ illis esse revelanda Dei providentia judicabat ^f (S. Aug., *De Cura pro mort., cap. 15*).

CAPUT XXX.

Utrum possint mortui viventium oculis apparere.

Ex hoc praedictus doctor sic ait : « Mitti ad vivos

^a *Est præcellens aliqua.* L.

^b *Addidit.* L.

^c *Deest.* L.

^d *Sicut ipse exspectatus es.* L.

^e *Offerrit.* L.

^f *Quæ necessarium est nosse.* L. Editio S. Aug. prosequitur : *vel quos necessarium est ea nosse.*

^g *Qui potuisset.* L.

^h *Legitur.* L.

ⁱ *Etiam mortuus editio S. Aug.*

^j *Ex Hebreis, quia in eorum non est canone.* L.

A aliquos ex mortuis, sicut e contrario Apostolus ex vivis in paradisum raptus est, divina testatur Scriptura. Nam Samuel propheta defunctus vivo regi Sauli etiam futura predixit. Quamvis nonnulli, non ipsum fuisse, nec potuisse ^k magicis artibus evocari, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentem illius existiment similitudinem figurasse, cum liber *Ecclesiasticus*, quem Jesus filius Sirach scripsisse traditur ^l, et propter eloquii similitudinem nonnullam Salomonis pronuntiatur, contineat in laude patrum, quod Samuel et mortuus i prophetaverit (*Eccli. xlvi, 24*). Sed si et huic libro ex Hebreorum, quia in eo non est, canone i contradicitur; quid de Moyse dicimus, qui certe et in Deuteronomio mortuus (*Deut. xxxiv, 5*), et in Evangelio cum Elia, qui mortuus non est, legitur apparuisse viventibus ^m (*Matth. xviii, 3*)? (Aug., ubi supra).

CAPUT XXXI.

Quod non impiorum, sed sanctorum animæ tantum sciant quid possit a viventibus agi.

Credendum omnino est quod sicut viventes mortuorum gestis interesse non possunt, ita a defunctis cause viventium nesciantur. Quam tamen ignorantiam sanctorum animæ non patiuntur ⁿ, quæ videntem omnia Deum sciunt, et scientem omnia contemplantur. Nam et beatus Gregorius in libris Moralium, loco illo quo testimonium illud de verbis Job tractare coepit ^o, ubi ait : *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelligit* (*Job. xiv, 21*), ita definiens, ait : « Sicut enim hi qui adhuc vivunt mortuorum animas quo loco habeantur ignorant, ita mortui vita in carne viventium qualiter postea disponatur ^p nesciunt. Quia et vita spiritus longe distat a vita carnis; et sicut corporea et incorporea diversa sunt generi ^q, ita etiam distincta cognitione. Quod tamen de animabus sanctis sentendum non est, quia quæ intus omnipotentis Dei mirram ^r claritatem vident, nullo modo credendum est quia sit aliquid p quod ignorent. Sed carnales quique quia amorem præcipue filii impendunt, hoc eos beatus Job nescire post mortem q asserit, quod hic vehementer amaverunt, utsive nobiles, sive ignobiles sint filii, nesciant, quorum eos semper cura satigabat ^s (S. Greg., *Moral. lib. xii, cap. 21, in Job xiv, 21*).

CAPUT XXXII.

Utrum post adventum Christi ad inferos, ex quo sanctis reseratum est iter ad caelos, aspicere valent aut boni malos in dolore, aut mali bonos in requie constitutos.

Eccc, Luca ^t evangelista testante, didicimus quod

Duacena consona est edit. S. Aug.

^k *Animæ (ut conjicimus) nullatenus sentiunt.* L.

^l *Tractare videtur.* L.

^m *Vite.... qualiter disponantur.* L.

ⁿ *Genera.* L. *generi D.* et edit. S. Greg. San-
Maur.

^o *Miram deest in L.*

^p *Sit forte aliquid L.*

^q *Postmodum.* L.

^r *Luca deest in L.*

mortuo divite illo, et sepulso in inferno, paupere quoque illo Lazaro in sinu Abraham in requie constituto, et dives in inferno collocatus Abraham vel Lazarum a pauperem viderit, et Abraham divitem illum positum in tormentis aspicerit ^b (Luc. xvi). Et haec siquidem ante adventum Christi ad inferos facta esse accepimus. Cæterum cum Dominus et Salvator noster, pro omnibus ^c moriens, ad inferna anima sola descendit, patriarchis, qui in locis inferi tenebantur, cœlestis paradisi januam reseravit. Quia ergo ita est, quod illos et de inferis eruit, et in cœlesti regione locavit, non immerito queritur utrum modo Abraham cæterique sancti de illo loco cœlestis paradiſi, quo resurgente Christo locati sunt, possint ita videre impiorum animas in inferno, sicut de loco illo, unde moriente Christo educti sunt, facere poterant? Hanc siquidem quæſionem sicut modo hic a me videtur proponi, occupato mihi diversis negotiorum tumultibus, ubi legerim non facile ^d occurrit. Hoc unum tantum de hac re in homiliis papæ Gregorii legisse me recolo, ubi ait: « Credendum est quod, ante retributionem extremi judicii, injusti in requie quosdam justos aspiciant, ut eos videntes et conspicientes in gaudio, non solum de suo supplicio, sed et de illorum bono crucientur. Justi vero in requie positi in tormentis semper intuentur ^e injustos, ut inde eorum crescat gaudium, quia malum conspiquant quod misericorditer evaserunt, tantoque maiores ereptori suo gratias referunt, quanto vident in aliis quod ipsi perpetrati, si essent ^f relicti, poterunt. Nec illam tante beatitudinis claritatem apud electorum animas ^g fuscata aspecta poena reproborum, quia ubi jam compassio miseriae non erit, minui procul dubio beatorum letitia non valebit. Quid autem mirum, si dum justi iniquorum tormenta conspiciunt, hoc eis veniet in obsequia gaudiorum ^h, quando in pictura niger color substernitur, ut albus vel rubens clarius videatur? Et quamvis eis sua gaudia ad perfruendum plene sufficient, mala tamen reproborum absque dubio semper aspiciunt; quia qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur quod videre non possint » (S. Greg., lib. ii in Evang., hom. 40, n. 8).

CAPUT XXXIII.

Contra eos qui dicunt quod nulla sit animæ vita post mortem.

Cassianus ait: « Qui mortui sunt corpore dominum spiritu benedicunt, atque collaudant, secundum illud: Benedic deo dominum, spiritus et animæ justorum (Dan. iii, 86), et omnis spiritus laudet dominum.

^a Et Lazarum. L.

^b Aspexit. L.

^c Pro nobis omnibus. L.

^d Facile deest in L.

^e Justi vero, in tormentis semper intuentur. L.

^f Si essent desunt in Duac.

^g Animas utraque nostr. edit. Animum S. Greg. e. laudata.

^h Hoc eis adanget obsequia gaudiorum. L. sola. S. Greg. edit. laudata vix differt a Duac.: hoc eis renunt in obsequium.

A nunc (*Psal. cl, 6*). Et in Apocalypsi Joannis animas occisorum non scutum laudare Deum, sed etiam interpellare dicuntur (*Apoc. iv*). In Evangelio quoque evidentius Dominus ad Saduceos: Non legietis, inquit, quod dictum est a Deo, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed vivorum; omnes enim ei virunt (*Matth. xxii, 31, 32*; *Exod. iii, 6*). De quibus et Apostolus: Propter quod, inquit, non confunditur Deus vocari Deus eorum, paravit enim illis civitatem sanctam » (*Hebr. xi, 16*) (Joan. Cass., collat. 1, c. 14). Beato quoque Augustino cæterisque doctoribus id asserentibus multis locis et multiplicibus libris, unum predicti viri memorabo exemplum, quo hujusmodi roboretur assertio. Fratrem quemdam Gennadium medicum sibi notissimum atque clarissimum refert apud Carthaginem suis, quem erga pauperum curam impigra misericordia facillimoque animo benignissimum suisse testatur: qui tamen Gennadius dubitabat utrum esset alia vita ⁱ post mortem. « Hujus igitur mentem et opera misericordiae quoniam Deus nullo modo desereret, apparuit illi in somnis conspicuus juvenis et dignus, eique dixit: Sequere me. Qui duni sequeretur ^j, venit ad quamdam civitatem, ubi audire co pit a dextra parte ^k sonos suavissimæ cantilenæ ultra solitam notamque suavitatem. Tunc illo intento quidnam esset, hymnos dixit esse beatorum atque sanctorum. A sinistra autem parte quid se vidisse retulerit, non satis memini. Evigilavit, et somnium fugit ^l, tantumque de illo quam de somnio cogitavit. Alia vero nocte, ecce idem ipse juvenis eidem rursus apparuit, atque ab illo utrum cognosceretur interrogavit. Respondit, quod eum bene pleneque cognoscet. Tunc ille quæsivit ubi se nosset. Nec memoria defuit quod iste eidem responderet ^m, totumque visum illud, hymnosque sanctorum, ad quos eo duce venerat, q̄a recordabatur facilitate narravit ⁿ. At ille peremptatus est utrumnam id quod viderat in somnis vidisset an vigilans? Respondit: In somnis. At ille homini: Bene, inquit, recolis: in somnis illa vidiisti ^o; sed etiam nunc in somnis te videre scias. Ille cum audisset iste, ita esse credidit, atque id responsione firmavit. Tunc qui hominem docebat, adiecit et ait: Ubi est modo corpus tuum? Ille respondit: In cubiculo et in lectulo meo. Scisne, inquit ille, in eodem corpusculo esse illigatos et clausos oculos tuos ^p? Ille respondit: Scio. Tunc ille: Qui sunt ergo isti oculi quibus me vides? Ad hoc iste non inveniens quid responderet, obticuit. Cui haesi-

ⁱ Ulla vita. L.

^j Quem dum sequeretur. L.

^k Parte deest in L.

^l Fuit D.

^m Iste idipsum iterum respondere. L.

ⁿ Ad quos audiendos eo duce venerat, qui recentissimum recordabatur facile narravit, L.

^o Breve, inquit, recolis; verum est: in somnis, etc. L.

^p Nec esse illigatos, sed clausos et oculos oculos tuos, nihilque illis te videre? L.

tanti ille quod his interrogationibus docere moliebatur aperuit continuo. Sicut^a, inquit, isti oculi carnis tue utique in dormiente atque in lectulo jacente nunc vacant, nec aliquid modo operantur, et tamen sunt isti quibus me intueris, et ista uteris visione, ita cum defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis tue, vita tibi inheret qua vivas, sensusque quo sentias. Cave jam deinceps ne dubites vitam esse post mortem. Ita sibi homo fidelis ablatam dicit hujus rei dubitationem (S. Aug., *Epist. ad Erod.* 159, in edit. Paris. S. Maur.).

CAPUT XXXIV.

Contra eos quibus parum videtur quod anima post mortem carnis in quadam corporali similitudine laeta quedam videat, vel tristia sentiat. Et quod expressiora sint ibi laeta vel tristia, quam hic videri possunt per somnum ab animo.

Quanvis non sint corporalia visa, sed similia corporalibus, quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, seu bene, seu male, cum et ipsæ animæ corporibus suis similes^b similiter apparet, sunt tamen et vera laeta, et vera molesta, facta de substantia spirituali^c. Nam et in somnis magnum interest^d utrum in letis an in tristibus simus. Unde in rebus quas concupierant constituti, se evigilasse doluerunt plurimi, et rursus gravibus terroribus atque cruciatus exagitati atque vexati, cum expergesfacti essent, dormire timuerunt, ne in eadem mala revocarentur. Et utique non est dubitandum quod expressiora sunt illa quæ in inferno dicuntur esse, atque ideo vehementius sentiantur^e. Nam et qui subtracti sunt sensibus corporis, minus quidem quam si omnino morerentur, sed tamen amplius quam si dormirent, expressiora se vidisse narraverunt quam si soomnia somniasset^f.

CAPUT XXXV.

Quid remunerationis^g habere credantur animæ defunctorum, ante resurrectionis illius ultimum tempus.

Animæ beatorum mox ut de hujus corporis domicilio exeunt, donec veniant ad resurrectionis illius ultimum tempus, jucunditate^h spiritus perfruuntur, attestante Joanne de animabus occisorum propter verbum Dei, et dicente: *Datae sunt illis singulæ stolæ albæ* (*Apoc. vi, 11*). Hæc ergo prima stola est quietis et jucunditatis, qua post mortem carnis anima tantum perfruitur; secunda illa erit, cum receptio corpore de animæ et carnis immortalitate letabitur.

CAPUT XXXVI.

Quod post depositionem corporis hujus s'atim videatur a sanctis spiritibus Deus.

Beatissimus Cyprianus, doctor clarus, et magister

^a Aperuit. *Et continuo sicut*, etc. L.

^b Similes deest in D.

^c Lips.: *Sed tamen vera laetitia et vera molestia factæ de substantia spirituali.*

^d D.: *Magnæ magnitudinis interest.*

^e Lips.: *Quæ inferna dicuntur, atque ob hoc vehementius sentiantur.*

^f Narravissent. L.

^g Quod remunerationem. L.

^h Sola jucunditate. L.

A mirificusⁱ, ad Fortunatum scribens de exhortatione martyrii, inter cetera sic dicit (*Cap. 12, circa fin.*): « Quanta est dignitas, et quanta securitas, exire hinc latum, exire inter pressuras et angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim, ut videatur Deus et Christus? Tanta felicitas migrandi^j, quanta velocitas. Repente terris subtraheris, ut in regnis cœlestibus reponaris. Haec oportet mente et cogitatione complecti, et die ac nocte^k meditari. » Tanti ergo doctoris exhortatione instructi, veraciter tenore debemus quod nequaquam post mortem visione Dei fraudabimur, sed co cum letitia perfruemur, si hic in beneplacitis sibi actibus vixerimus.

CAPUT XXXVII.

Quod etiam modo sanctorum animæ jam cum Christo in cœlis regnent.

Sanctus Augustinus definitione certissima cupiens docere quod non solum martyrum sed electorum animæ fidelium jam modo cum Christo regnent in cœlis, de Apocalypsi Joannis testimonium illud ponit, ubi legitur quod animæ occisorum propter testimoniū Jesu, et propter verbum Dei, regnent cum Christo mille annis (*Apoc. xx, 4*): animæ scilicet martyrum, nondum sibi corporibus redditis. Quod ne aliquis putaret quod tantum martyrum, non etiam ceterorum fidelium, animæ cum Christo regnarent, subjunxit idem doctor: « Neque enim priorum animæ mortuorum separantur^l ab Ecclesia, quæ nunc est etiam regnum Dei^m: alioqui nec ad altare fieret memoria eorum in communicatione corporis Christi. Nec aliquid prodesset ad ejus baptismum in periculis currere, ne sine illoⁿ finiatur hæc vita: nec ad reconciliationem penitentia valeret, si forte per impudentiam malamve conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est. Cur enim flunt ista, nisi quia fidèles, etiam defuncti, sunt membra ejus? Quanvis ergo cum suis corporibus nondum sint, jam tamen eorum animæ regnant cum illo» (*De Civ. Dei, lib. xx, c. 9, n. 2*). Nunc et quotidianie desiderant duplicationem beatitudinis, quam accepturi sunt post, et ipsa eorum desideria clamoris eorum quodammodo sunt verba, quibus Deum implicantur, ut extinctorum corporum resurrectionem recipient. Magnus quippe eorum clamor, magnus est desiderium. Tanto enim minus quisque clamat, quanto minus desiderat: et tanto maiorem vocem in aurem Dei exprimit, quanto se in ejus desiderium plenius fundit. Si enim desiderium quodammodo sermo non esset, Propheta non diceret: *Desiderium*

ⁱ *Et martyr Dei magnificus.* L.

^j *Tam feliciter migrandi.* L.

^k *Haec die, ac nocte.* L.

^l *Separantur.* D.

^m *Regnum Christi.* L.

ⁿ *Nisi illo. Ita ambæ nostræ editiones. Melius autem dubio in editis S. Aug. ne sine illo.*

^o Lips. alter: *nec ad reconciliationem, si forte per penitentium malamve conscientiam, etc.*

^p *Nam nunc.* L.

cordis eorum exaudivit auris tua (Psalm. ix, 38). Quibus sanctis animabus jam datæ sunt singulæ stolæ albæ, id est, ipsa illa beatitudo patriæ coelestis^a, in qua nunc gaudentes exsultant, dictumque est eis: *Requiescite tempus adhuc modicum, donec impletur numerus conservorum et fratrum nostrorum*^b (*Apoc. vi, 11*). Desiderantibus igitur animabus *Requiescite tempus adhuc modicum* dicere, est inter ardorem sancti desiderii ex ipsa sua præsentia eis Deum solarium consolationis aspirare. Regnum tamen animarum eorum jam, ut diximus, cum illo est nunc, dum isti mille anni decurrunt. Unde in eodem libro alibi legitur: *Beati mortui qui in Domino*

^a *Beatitudo coelestis.* L.

^b *Vestrorum.* L.

^c *Joannes deest in Lips.*

moriuntur: amodo enim jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis, nam opera eorum sequuntur eos. Regnat itaque cum Christo nunc prius Ecclesia in vivis et mortuis. Propterea enim, sicut dicit Apostolus (*Rom. xiv, 9*), mortuus est Christus, ut et vivorum et mortuorum dominetur. Sed ideo martyrum tantum animas^c Joannes commemoravit, quia ipsi præcipue regnent mortui, qui usque ad mortem pro veritate certarunt. Sed a parte totum, etiam ceteros mortuos intelligimus pertinentes ad Ecclesiam, ^d quæ est regnum Christi.

Explicit liber secundus.

^d *Certabant. Sed aperie ad totum.* L.

^e *Quod est regnum Christi.* L.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

DE IPSA RESURRECTIONE.

CAPUT PRIMUM.

Quod tempus et diem judicii nullus hominum novit.

Judicii-tempus vel diem Dominus nobis esse volunt incognitum. Sic enim interrogantibus se de ultimo die discipulis, atque dicentibus: *Quod signum adventus tui erit, et consummationis æculi?* respondisse eudem Dominum legimus: *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater solus* (*Marc. xiii, 32*). Quanquam hoc ipsum quod se dicit nescire, non arbitrandus est hoc ipsum Filius ignorasse, sed quod sic sciat, ut nolit aliis dicere. Nam dum dicit ipse Dominus prophetam: *Dies ultionis in corde meo* (*Isai. lxiii, 4*), indicat se quidem scire, sed nolle aliis indicare.

CAPUT II.

Utrum specialis locus esse creditur ubi judicium a Domino agetur.

Quid ex hoc^a in aliis legerim, non facile mihi occurrit: hoc tamen Joel propheta vaticinante^b dicimus, quod in valle Josaphat omnes gentes a Domino tempore judicii^c congregandæ sunt. Sic enim idem sanctus propheta ait: *In diebus illis et in tempore illo, cum convertero captivitatem Judæ et Jerusalem, congregabo omnes gentes, et deducam eas*^d *in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi* (*Joel. iii, 1, 2*). Sed hæc prophetæ verba quomodo beatus Hieronymus sentiat, audiamus, ut ex illius verbis locus iste Josaphat, quo judicium dicitur agitari, utrum proprie an figuraliter intelligi debeat, melius lector^e agnoscat. Dicit enim beatus Hiero-

nymus (*In hunc Joelis locum, quamvis non iisdem verbis*). Josaphat interpretatur^f Domini judicium. Hoc ergo est quod dicit: Quando misertus fuero eorum, hoc est, qui mei nominiis confessione censentur, tunc omnes adversarios meos deducam in vallem Josaphat, hoc est, in vallem judicii. Omnes autem gentes, aut omnes^g designat incredulas nationes, aut omnes dæmones dicit, quia sic idem doctor in eodem tractationis subsequitur opere: Isti tales, id est, quos aut incredulas nationes, aut dæmones dicit, non judicabuntur in montibus, non in campestribus, sed in profundo et deorsum, ut solum locus^h ipse judicii pro pœna sit.

CAPUT III.

Quod nullus noverit hominum, per quot dies futurum illud judicium extendatur.

ⁱ C Quod in confessione ac professione tenet omnis Ecclesia Dei, Christum de cœloⁱ esse venturum ad vivos et mortuos judicandos (ut ait beatissimus Augustinus),^j in hunc ultimi judicii diem dicimus, id est, novissimum tempus. Nam per quot dies futurum judicium^k extendatur, incertum est^l (*D. Ang., de Civitat. Dei, lib. xx, cap. 1, num. 2*).

CAPUT IV.

De terrore adventus Christi, et quod in ea forma qua judicatus est, in ipsa ad judicium veniet, et judicium agitabit.

^l Christus Dei Filius, finito mundi termino, in ea qua ascendit cœlos corporis forma, ^m cum sanctis omnibus veniet. Illo enim de cœlis ad judicium veniente, juxta quod ipse in Evangelio ait: *Virtu-*

^D ^b *Ipsis.* L.

ⁱ *Esse futurum.* L.

^j *Hunc omnes judicii ultimum diem dicimus, id est, futurum novissimum tempus.* L.

^k *Tendatur.* L.

^l *Omnipotens Dei Filius.* L.

^m *Ad judicium cum sanctis omnibus.* L.

^a *In aliis codicibus.* Lips.

^b *Cognovimus.* L.

^c *Judicandæ sunt.* L.

^d *In valle.* L.

^e *Agnoscas.* L.

^f *Dei judicium.* L.

^g *Designant. . . . aut omnes dicit.* D.

tes calorum commovebuntur, et tunc apparebit signum Filii hominis in celo; et tunc ^a plangenti omnes tribus terrae, et videbunt Filium hominis venientem in rubibus capi cum virtute multa. Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ^b ventis, a summis calorum usque ad terminos eorum (Matth. xxiv, 29, 30, 31). Paulus quoque apostolus de adventu ^c judicii ita dicit: *Ipsa autem Dominus in iussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de celo (I Thessal. iv, 15).* Ignis enim ante eum, Psalmista pradicente, ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida (Psalm. xl ix, 3): quia idem qui aliquando venit ut judicaret occultus, tunc veniet ut omnes judicet manifestus. Congregatis ergo sanctis suis omnibus, ^d de celo est descensurus, juxta illud quod Isaías dicit: *Ecce veniet Dominus cum sanctis suis ad faciendum judicium (Isai. iii, 14).* Tremendus igitur valde et pavens adveniet in die ^e examinationis sue, quando cum angelis et archangelis, thronis et domitionibus, cæterisque virtutibus, celis quoque ac terris ardentibus, cunctis in sui obsequiis terrore commotis, visus fuerit in gloria majestatis.

CAPUT V.

Quod præiente cruce Christus ad judicium veniet, et quod eadem crux angelorum humeris, de celo Christo descendente, portabitur.

Joannes Chrysostomus liquissime hanc quæstionem ventilans, ita definit dicit (*Homilia prima de Cruce et Latrone*): « Videamus quomodo cum cruce sua veniet Christus, necessarium enim est hoc ipsum ostendere. Si dixerint, inquit, ^f *Ecce in promptuariis est Christus, ecce in solitudine, nolite credere* (Matth. xxiv, 28), de secunda præsentia glorie sue dicens propter pseudo-christos, et propter falsos prophetas, ^g et propter Antichristum, ne quis errore præventus in falsum incidat christum. Quoniam Christi Salvatoris adventum præveniet Antichristus, ideo sollicite præcavendum est, ne quis pastorem querens, lupum inveniat. Ob hoc prædico tibi unde dignoscas veri Pastoris adventum. Hoc dedit signum: hæc enim sicut voluntas ejus, ut primus adventus latenter fieret, et quereret quod perierat; secundus vero adventus non ita, sed simpliciter ait: *Quemadmodum, inquit, fulgor exiens ab oriente apparet in occidente, ita erit adventus Filii hominis (Ibid., 27).* ⁱ Subito omnibus apparebit, nec erit indigens quisquam interrogare, sive hic, sive illuc est Christus. Quemadmodum enim fulgor cum emicuerit, non egemus interrogare si facta sit coruscatio; ita cum revelatio præsentiae

A cius effulserit, non indigebimus interrogare: ac venerit Christus. Sed quod queritur, si cum cruce veniet (nec enim præmissæ expositionis oblitus sum), audi igitur subsequentia. Tunc, inquit, quando venitus est, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum (*Ibid.*, 29). Tanta enim erit eminentia splendoris in Christo, ut etiam clarissima colliuminaria abscondantur præ fulgore divini luminis. Tunc et stellæ cadent, quando ^k apparuerit signum Filii hominis in celo (*Ibid.*, 29, 30). Considerasti quanta sit virtus ^l sanctæ crucis? Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum: crux vero fulget, et obscuratis luminaribus coeli, dilapsisque sideribus, ^m sola radiabit, ut discas quoniam orux sole et luna præclarior est, quorum splendorem di B vino illustrata splendore superabit. Et quemadmodum ingrediente rege in civitatem, exercitus ⁿ præcedit ferens signa et vexilla regalia, ^o et ambitus præparationis armis annuntiat regis introitum; ita Domino descendente de celis, præcedet exercitus angelorum atque archangelorum, qui signum illud triumphale crucis vexillum sublimibus humeris præferentes, divinum regis cœlestis ingressum terris trementibus nuntiabunt. ^p Idem doctor post aliqua sic repetit: « Sed quare crux apparebit tunc, et quam ob causam in ejus prælatu Dominus adveniet, ^q perspicuum est: ut agnoscant consilium iniuritatis sue, qui Dominum majestatis crucifixerunt. Per hoc enim signum impudens Judæorum redarguitur ^r mendacium vel impietas. Et quoniam propter hoc ipsum habens crucem veniet, audi ipsum in Evangelio protestantem: *Quia tunc plangent omnes tribus terrae (Matth. xxiv, 30)*, videntes accusatoreum suum ipsam crucem, et ipsa argente cognoscent peccatum suum sero, et frustra fatebuntur impiam excitatem. Quid autem miraris, si crucem afferens veniet, ubi et ipsa vulnera tunc ostendet? *Quoniam videbunt, inquit, in quem compunxerunt* ^s (*Joan. xix, 37*). ^t

CAPUT VI

De terrore visionis diaboli, cum sublatus fuerit, ut ad judicium adducatur.

Cum sublatus fuerit diabolus ut damnetur, multi electi, qui in corpore inveniendi sunt, Domino ad judicium veniente, metu concutiendi sunt, videntes D tali sententia impium esse punitum. Quo terrore purgandi sunt, quia si quid eis ex corpore adhuc peccati remanserit, metu ipso quo diabolum damnari consipient, purgabuntur. Hinc est quod ^u ait Job: *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, et* ^v *terrifi*

^a *Plangent sc. L.*

^b *Venit cœli, a summo cœlorum. L.*

^c *Judicij sui. L.*

^d *Ad faciendum judicium de cœlo. L.*

^e *Examinis. L.*

^f *Ecce deest in D.*

^g *Et falsos prophetas, propter Antichristum, ne*

aliquis. L.

^h *Ab aquilone. D.*

ⁱ *Subito enim. L.*

^j *An vere sit Christus. L.*

^k *Apparuit. D.*

^l *Signi, hoc est, crucis. L.*

^m *Melius Lipsiens. quam Duac., cuius hæc lectio est: Sol non radiabit; quando crux soles et luna præclarior est, etc.*

ⁿ *Antecedit præferens. L.*

^o *Et ambitu præparationis, armisque annuntiat. L.*

^p *Ratio perspicua est. L.*

^q *Mendacium deest in Lips.*

^r *Ait Dominus ad Job. L.*

^s *Exterriti. L.*

Digitized by

purgabuntur (*Job* xli, 16) : angelos videlicet sanctos quosque aucte electos volens intelligi.

CAPUT VII.

Quod Christus ad judicium veniens, mittit justis, et terribilis apparebit injustis.

Redemptor humani generis cum apparuerit, et iustis erit iustis, et terribilis injustis. Quem enim mansuetum aspiciunt electi, hunc pavendum atque terribilem conspiciunt reprobri. Sed hunc ideo electi terribilem non videbunt, quia modo terrorem illius considerare non desinunt. Et ideo reprobri terribilem illum conspicient, quia modo ultimi illius judicii postponunt terrorem, et, quod est pejus, quasi securi in suis facibus jacent.

CAPUT VIII.

Quod Christus in carne ad judicium venientem justi et injusti carnis oculis sint visuri.

Christus Dei Filius cum ad judicium venerit faciendum, omnes pariter humanitatem ejus justi et injusti visuri sunt. Divinitatem tamen ejus injusti non videbunt, quae tantum justis videnda promittitur. Nam quod ab injustis divinitas ejus non videatur, testatur Isaías qui dicit : *Tollatur impius, ne videat a maiestatem Dei* (*Isai. xxvi, 40*). Ex quo apertissime patet quod reprobri tunc humanitatem a ejus utique in qua judicatus est videbunt ut doleant; divinitatem vero non videbunt, ne gaudeant. Quibus enim divinitas ostenditur, utique ad gaudium demonstratur.

CAPUT IX.

Quod non Pater, sed tantum Filius ad judicium faciendum venturus esse credatur.

Ait ex hoc beatissimus Augustinus (*In Joan. Evang. cap. v, tract. 19, num. 16*) : « Neque enim ad judicium vivorum et mortuorum Pater venturus est, nec tamen recedet a Filio Pater. Quo ergo modo non ipse venturus est? Quia ipse non videbitur in judicio : *Videbunt in quem a compunxerunt* (*Joan. ix, 37*). Forma illa erit iudex, quae stetit sub iudice; illa judicabit quae judicata est. Judicata est enim inique, judicabit juste. » Nam et cum in propheticis Scripturis Dominus legitur a ad judicium esse venturus, etsi ejus persona sub alia distinctione patenter ponatur, tantummodo propter ipsum judicium Christus debet intelligi; quia etsi Pater judicabit, per Filium judicabit. Nam ipse per suæ præsentia manifestationem non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan. v, 22*); quia manifestabitur homo judicatus, sicut homo est judicatus.

CAPUT X.

Quod non pertineat ad hanc vitam, cum Christus viros et mortuos judicaturus de cœlo descenderit.

Non est consequens ut ad hanc vitam pertinere

- *Gloriam Dei.* L.
- *Christi in qua.* L.
- *Ut gaudent.* L.
- *Pugnerunt.* L.
- *Ad novissimum judicium faciendum.... etsi ejus alia distinctio non ponatur.* L.
- *Per adventum Filii hominis.* L.
- *De cœlo descendens iudex omnibus apparuerit*

A credamus, cum Christus a deo ad iudicandos vivos et mortuos descenderit, et iudex hominibus apparuerit in manifestus. Nam iuxta præfixam beati Augustini sententiam, quod de Christo profitemur futurum, quoniam de cœlo venturus est vivos et mortuos iudicaturus, non pertinet ad vitam nostram quae hic geritur, quia nec in rebus ejus gestis est, sed in fine seculi gerendis. Ad hoc pertinet quod secutus Apostolus adjunxit : *Cum Christus apparuerit rita nostra, tunc et nos apparebitis cum ipso in gloria* (*Col. iii, 4*). Vivos autem et mortuos, cum venerit, iudicabit, quia et justi, qui utique vivunt, et injusti, qui merito mortui appellantur, ab illo utique iudicandi sunt : sive ut vivos intelligamus quos hic bondum mortuos, sed adhuc in ista carne viventes ejus i invenerit adventus; mortuos autem, qui de corpore priusquam veniat exierunt, vel exituri sunt.

CAPUT XI. De sedibus iudicantium.

Sedes dicimus quas Graeci thronos appellant : thronos autem Graeci i sedes dicunt. Sancti ergo, quamlibet ipsi sint sedes Dei, iuxta quod scriptum est : *Anima justi sedes est sapientiae* (*Sap. vii*), ipsi tamen sedes habebunt, in quibus Christo iudicante sessuri sunt, iuxta illud quod ipsa Veritas ait : *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel* (*Matth. xix, 28*).

CAPUT XII.

De his qui cum Domino ad iudicandum sessuri sunt.

Luce clarius constat quod omnes sancti qui perfecte mundum reliquerunt, cum Domino residentes, exteris iudicabunt. Tunc quoque implebitur illud quod legitur in divinis Litteris : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terra* (*Prov. xxxi, 23*).

CAPUT XIII.

Quod in prænominatis a Christo duodecim sedibus non solum duodecim apostoli sessuri sint, sed omnis perfectorum numerus, qui in duodenarium numerum partiuntur.

Sanctus Augustinus ita ex hoc in suis tractatibus dicit (*De Civit. Dei, lib. xx, cap. 5, num. 3*) : « Non enim, quia super duodecim sedes sessuros ait Dominus esse a apostolis, duodecim solos homines cum illo iudicaturos putare debemus. Duodenario namque numero universa quedam significata est prædicantium multitudo, propter duas partes numeri septenarii, quo significatur plerumque universitas. Quæ duæ partes, id est tria et quatuor, altera per alteram multiplicatae, duodecim sunt. Nam et quatuor ter, et tria quater, duodecim sunt ; et si

manifestus. L.

• *Peregrinatur.* L.

• *Inventurus est.* L.

• *Sellas dicunt.* L.

• *Sedebit.* L.

• *Partietur.* L.

• *Discipulos suos.* L.

• *Faciunt.* L.

qua alia hujusmodi duodenarii numeri, quae ad hoc valeat, ratio potest reperiri. Alioquin cum in locum Iudee traditoris apostolum legimus Matthiam ordinatum, apostolus Paulus, qui plus illis omnibus laboravit, ubi ad judicandum sedeat non habebit: qui profecto cum aliis sanctis ad numerum judicum se pertinere demonstrat, cum dicit: *Nescitis quia angelos judicabimus?* (*I Cor. vi, 3.*) De ipsis quoque judicandis in hoc numero duodenario similis causa est. Non enim quia dictum est: *Judicantes duodecim tribus Israel*, tribus Levi, quae tertia decima est, ab eis judicanda non erit, aut solum illum populum, non etiam ceteras gentes judicabunt. Quod autem ait *In regeneratione*, procul dubio mortuorum resurrectionem nomine voluit regenerationis intelligi. Sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum est anima nostra regenerata per fidem. »

CAPUT XIV.

De ultima resurrectione corporum humanorum.

Resurrecturam carnem omnium quicunque nati sunt hominum atque nascentur, et mortui sunt et morientur, nullo modo debet dubitare omnis qui veraciter Christianus est, dicente Domino: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora quando mortui qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei; et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero malu, in resurrectionem judicii* (*Joan. v, 25*)

CAPUT XV.

Quod septimo angelo tuba canente, in ictu oculi erit resurrectio mortuorum.

» B. Hieronymus quorundam de resurrectione disputantium sententias in epistola sua, quam ad Minervum scripsit, asserens, ita dicit: « Quærimus cur de novissima tuba mortuos scripserit Apostolus resurrecturos (*I Cor. xv, 52*). Quando enim novissima dicitur, utique aliae præcesserunt. In Apocalypsi Joannis (*Cap. xi*) septem angeli describuntur cum tubis, et unoquoque clangente, primo videlicet, secundo, et tertio, quartoque, et quinto, et sexto, quid per singulos actum sit, indicatur. Novissimo autem, id est septimo, claro tubæ strepitu personante, « mortui suscitantur, corpora, quæ prius habuerant corruptibiliæ, incorruptibiliæ recipientes. » Pro eo tamen quod de resurrectione mortuorum ait Apostolus, omnes resurrecturos esse in momento, in ictu oculi, in novissima tuba, « tanta (ut ait idem doctor) celeritate fiet resurrectio mortuorum, ut vivi quos in corporibus suis consummationis tempus invenerit, mortuos de inferis resurgentem prævenire non valcant. Quando enim dicit, in puncto temporis, et in motu oculi atque momento futuram omnium

^a Reperiatur. L.

^b Hæc in Hieronymo frustra quæsivimus, alterius forte verba sunt: illa certe stylum Hieronymi vix sap.unt.

^c Duacen., paulo aliter: *Mortui suscitantur corpore: qui prius habuerant corruptibiliæ incorruptibiliæ recipientes.*

^d Vel stipula adjicit L.

A resurrectionem, cunctam primæ et secundæ resurrectionis excludit fabulam, ut alii primi, alii novissimi resurrecturi esse credantur. » Item post aliqua idem dicit: « Hoc sentire debemus, quod quomodo levis pluma, ^e aut tenue siccumque folium vento flatuque raptatur, et de terra ad sublime ^f transferatur; sic ad oculum et nutum Dei omnium mortuorum corpora movebuntur, parata ad adventum judicis. »

CAPUT XVI.

Quod ad omnes homines pertineat resurrectio, immutatio vera tantum ad sanctos.

Ecce dicit Apostolus: *Canet tuba, et mortui ^g resurgent, et nos immutabimur* (*I Cor. xv, 52*). Sed non sicut bonorum et malorum generalis est omnium resurrectionis, ita communis credenda est immutatio. Nam, juxta quod beatus Augustinus, Hieronymus, Julianus Pomerius ceterique testantur, resurrectio communis erit omnibus bonis et malis, immutatio vero solis danda est justis, quæ utique glorificationem insinuat æternæ beatitudinis.

CAPUT XVII.

Quod non aerium corpus, sed caro quam gerimus, sine ulla corruptione resurget.

Nullo modo audiendi sunt, qui pro carne nescio quod corpus resurrecturum fabulantur ^h aerium. Sed, juxta sacrae historiæ veritatem, in hoc quod quisque vivit, resurrecturus est corpore. Nam, ut ceteros taceam, egregii præceptoris nostri Eugenii, ⁱ Toletane sedis antistitis, breviter hæc verba retexam: « Resurrectionem autem carnis verissime confitemur, non, ut quidam delirant, ut in aria vel qualibet alia carne resurgamus, sed in hac qua sumus, ^k in hac qua etiam pro recte factis coronam, aut pro male gestis unusquisque merebitur recipere poenam. »

CAPUT XVIII.

Quomodo spirituia corpora tunc habere credantur, cum futura corpora non spiritus, sed corpora verissime apponentur.

Resurgent sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, ^j sine ulla corruptione, vel oneris difficultate. In quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod spiritalia dicta sunt, cum procul dubio corpora futura ^l non spiritus sint. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus non anima est; ita tunc spiritale corpora erit, corpus tamen, non spiritus erit.

CAPUT XIX.

De qualitate corporum quæ in resurrectione futura sunt.

« Qualitas eorum corporum, ut ait Julianus Pomerius (*De animæ origine*), quam miseri vel beati

^e Facile transfertur. L.

^f Resurgent incorrupti. L.

^g Aereum. L.

^h Tolosanæ scribit male L.

ⁱ Et vivimus, in qua etiam aut pro recte facits, etc. L.

^j Sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate. L.

^k Caro, non spiritus sint.

recipient, æqualiter quidem incorruptibilis et immortalis erit; sed eorum ipsorum qui recepturi sunt loca vel merita incomparabiliter diversa erunt, et a se invicem longe distantia. Unde dicit Apostolus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (*I Cor. xv, 51*). Quod enim dicit: *Omnes quidem resurgemus*, unam tantum resurrectionem omnium hominum signat, ut omnia hominum corpora, una incorruptione, una immortalitate donata, aut in supplicio, aut in præmio, possint esse perpetua. Ac per hoc omnes et simul resurrecti credendi sunt; sed impii ad supplicium, peccatores ad illud finale judicium, et sancti omnes ad præmium. Igitur corpora miserorum non sic immortalia et incorruptibilia erunt, ut quia corrupti aut mori non poterunt, nullum sensum doloris admittant; sed ut, in æternis cruciatibus constituta, summus dolor nec corruptus cruciando, nec perimat. Ac sic ad hoc caro immortalis cum sua anima condemnata vivit, ut sentiat; sentit, ut doleat; dolet, ut meritis quis digna recipiat.

CAPUT XX.

In qua ætate vel statura futuri sunt resurgentes, sive sint senes, sive juvenes, vel infantes.

Plerisque pertinaciter ac varie de hac quæstione certantibus, beatus Augustinus (*De Civit. Dei, lib. xxii, cap. 15, 16*) responsorum se ^a perhibens dicit: « Si dixerimus ad Dominici corporis modum ^b quorundam majorum corpora redigenda, peribit de multorum corporibus plurimum, cum ipse nec capillum peritum esse promiserit. Restat ergo ut suam recipiat unusquisque mensuram, quam vel habuit in juventute, etiamsi senex sit mortuus, vel fuerat habiturus, si ante est defunctus. Atque illud quod commemoravit Apostolus de mensura ætatis plenitudinis Christi (*Ephes. iv, 13*),.... sic accipimus dictum, ut nec infra nec ultra juvenilem formam resurgent corpora defunctorum; sed ^c in ætate et robore usque ad quam Christum hic pervenisse cognovimus. Circa triginta quippe annos definierunt etiam hujus seculi doctissimi homines juventutem, quæ cum fuerit spatio suo terminata, inde jam hominem ad detrimenta vergere gravioris ac senilis ætatis: et ideo non esse ^d dictum in mensuram corporis, vel in mensuram staturæ, sed in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Resurgent ergo omnes tam magni corpore, quam erant, vel futuri erant ætate juvenili. Quamvis nihil obseruit, etiamsi erit infantilis vel senilis corporis forma, ubi nec ^e mentis nec ipsius corporis ulla remanebit infirmitas.

» Unde etiam predictus doctor

A sequenter adjungit: « Si quis in eo corporis modo quo defunctus est resurrectum unumquemque contendit, non est cum illo ^f laborabili contradictione pugnandum. » Julianus quoque Pomerius quid de hoc senserit. (*Libro de anima*) non tacebo. « Sane, ait, de ætate nibil esse quæstionis existime, quoniam sive jam in utero, sive jam nati vita preventur infantes, ^g in ea resurrecti esse credantur, ad quam profecto essent, si viverent, annis ^h sequentibus peruenturi; quoniam si naturam resurrectio reparabit, aliquid deesse plenitudini naturæ non poterit. » Quod etiam predictus doctor similiter fieri et de his qui proiecta ætate moriuntur astruxit, dicens: « Is quoque qui hinc proiecta ætate, vel etiam decrepita, decesserit, ea ætate resurget in qua juvenis fuit, debilitate senectutis ablata. Aut si hoc magis congruit illi seculo beato, in quo omnes sancti sine ullo beatitudinis suæ defectu i victuri sunt, ut aliqua ætatum differentia ibi futura sit, sic erit ibi ⁱ, ut impedimento aut dedecori sine fine regnabit non sit. » Itemque subiungit: « Quod de ætate diximus, hoc idem de statura licet intelligi. »

CAPUT XXI.

Utrum æquales an diversæ futuræ sint staturæ vel figuræ surgentium corporum, et utrum macri cum eadem macie, pingues cum eadem pinguedine, in resurrectione futuri sint.

De statura corporis in qua omnes ^k resurrecti sunt, beatus Augustinus manifesta dissertatione pronuntians dicit (*Enchir. cap. 90*): « Non est coquens ut ideo diversa statura sit ^l reviviscentium, quia fuerat diversa viventium: ^m scilicet ut macri cum eadem macie, aut pingues cum eadem pinguedine reviviscant. » Sed si hoc est in consilio creatoris, ut in effigie sua cuiusque proprietas et discernibilis similitudo servetur, in cæteris autem corporis bonis æqualia cuncta reddantur, ita modificabatur illa in unoquoque materies, ut nec aliquid ex ea perireat, et quod alicui desuerit, ille suppleat qui etiam de nihilo potuit quod voluit operari. » Si autem in corporibus resurgentium rationabilis inæqualitas erit, sicut est vocum quibus cantus impletur, hoc fiet cuique de materia corporis sui, quod hominem reddit angelicis cœtibus, et nihil inconveniens eorum ingrat sensibus. »

D CAPUT XXII.

Quod sine aliqua deformitate sanctorum corpora resurrectura sint.

Resurgent omnium sanctorum corpora, omni felicitate et gloria immortalitatis conspicua, sicut sine

^a *Præbens. D.*

^b *Quorundamque majora corpora. L.*

^c *Lip.: In ejus ætatis robore. Edit. S. Aug., in ejus ætate, et robore.*

^d *Duacena, Non esse venturum.*

^e *Meritis pro mentis. L.*

^f *Laboriosa. L.*

^g *Duac.: In eam resurrecti creduntur.*

^h *Procedentibus. L.*

ⁱ *Venturi sunt. L.*

^j *Ut quidquam inquam impedimento. L.*

^k *Omnis generaliter. L.*

^l *Reviviscentium singulorum. L.*

^m *Aut macri. L.*

ⁿ *Lectionem Lips. et edit. S. Aug. preferendam hoc loco duximus Duacenæ, quæ est hujusundi: Sed sit hoc in concilio creatoris, ut.... in cæteris autem corporibus bonis æqualia cuncta reddantur. Ita, c.c.*

^o *Discrepat etiam hoc loco lectio Duacena a Lip. et S. Aug. quam secuti sumus. Illius autem verba sunt: Sic autem corporibus.... sicut est vocum, quibus cantus impletur. Hoc fiet,*

ulla corruptione, difficultate, ^a onere, ita sine ulla deformitate. In quibus, ut ait sanctus Augustinus, tanta erit facilitas, quanta felicitas. Nam idem doctor ipsas quoque cicatrices in corporibus martyrum posse quidem videri docet, sed sine ullo deformitatis intuitu id fieri perhibet. Non enim, ut idem doctor egregius ait (*De Civ. Dei, lib. xxii, cap. 19, n. 3*), deformitas in eisdem corporibus, sed dignitas erit: et quamvis quedam in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. ^b

CAPUT XXIII.

Quod superfluum sit querere de reproborum corporibus, in qua aetate vel mensura resurgent.

Reprobi sane utrum unius staturæ an diversæ futurae sint, superfluo queritur, quando in eis qui a beata luce et ab illo decore domus æternæ alieni manebunt, statura, quæ decori esse solet ^b non exquiritur, quia, juxta quod quidam sapiens ait, ubi erit denijum stridor, æternusque et ^c intolerabilis fletus, inaniter quereretur corporum decus.

CAPUT XXIV.

Quod viri et feminæ in proprio sexu resurgent.

Plerique propter hoc quod dicit Apostolus: *Donec occurramus ei in virum perfectum* (*Ephes. iv, 13*), omnes feminas in virili sexu resurgere credunt, pro eo quod vir ex limo, mulier vero ex viri latere facta sit. Nos autem catholicorum magistrorum sententiis eruditæ, hoc credimus, hoc tenemus, quod omnipotens Deus, qui utrumque sexum condidit, instituit ac redemit, utrumque in resurrectione restituet. Nam Christus Dominus de muliere tentatus, quæ amissis septem viris quos habuerat, hinc quoque ipsa transisset, cum quereretur ab eo in resurrectione cui eorum potissimum redderetur, respondit: Quod in resurrectione nec femine ^d nubant, nec viri uxores accipiant (*Matth. xxii, 28-30*). Ex quibus sacratissimis verbis apertissime patet quod ibi non sexus, sed concubitus desit; nec carnis sit natura mutanda, sed ejus concupiscentia finienda. Nam et beatus Augustinus hanc questionem in suis tractatibus versans (*De Civit. Dei, lib. xxii, cap. 17*): « Melius mibi, ait, sapere videntur, qui utrumque sexum resurrectorum non dubitant. Non enim ibi libido erit, quæ confusionis est causa. Nam priusquam peccassent nudi erant, et non confundebantur vir et femina. Corporibus ergo vitia detrahentur, natura servabitur. Non est autem vitium sexus femineus, sed natura, quæ tunc quidem a concubitu et a partu erit immunit. » Quibus ita a prædicto viro digestis, erit, ut præceptor noster sacer Eugenius [Toletanus] docet,

^a Vel onere. L.

^b Deest non in L.

^c Incessabilis. L.

^d Nubent.... accipient. L.

^e Glorificati corporis. L.

^f Languidæ eadem velut medicamenta. L.

^g Insumenti ibi cibi aut potus necessitas nulla erit, quæ corruptioni tantum in hac vita tribuitur, non in corruptioni, vel immortalitati, quæ post hanc vitum futura est. Veteri enim juxta quod. L.

A ^a tanta ac talis ^b corporis pulchritudo, ut oblectet intuitum, et cor nullatenus inflectat ad vitium. ^c

CAPUT XXV.

Quod nulla resurgent cibi ac potus cura sollicitet.

Necessitatem cibi ac potus natura nostra, quandiu corruptibilis in hoc subest corpore, patitur, cum merito corruptionis ac immortalitatis suæ ^c languenti eidem velut quedam medicamenta praalentur. Cum autem facta fuerit resurrectio corporum, ^d in sumendo cibo ac potu ibi necessitas nulla erit, quæ corruptioni tantum in hac vita tribuitur; nam in corruptione vel immortalitate, quæ post hanc vitam futura est, ntetur. Etenim juxta quod Julianus Pomerius ait (*Lib. de animæ origine*): « Omni corruptione ac mortalitate consumpta, non ibi erit ulla carnis infirmitas, sed natura. Hic ergo ubi potest caro mori, cibo ac potu juvanda est, ne morti succumbat; in illa autem vita ubi mori non poterit, nihil requiri alimonie, quia immortalem nec fames potest nec sitiis occidere. » Quod si nobis e contrario illud objicitur, quod post resurrectionem Dominus cum discipulis suis manducasse perhibetur, et ob hoc exemplo ejus resurgententes comeduntur credantur; ^e manducavit ^f panem, ut ait idem doctor, Dominus Jesus, non indigentia, sed potentia; nec ut infirmitati carnis suæ consuleret, sed ut vera carne se dubitabibus resurrexisse monstraret. Quia utique si spiritus esset, sicut tunc putabatur, aliquid carnalis cibi non sumeret; sumpsit autem, ut confirmaret eorum fidem quæ cooperat fluctuare, et sibi non facultatem, sed i necessitatem ostenderet defuisse. ^g

CAPUT XXVI.

Quod carnalibus indumentis natura nostra non egat.

Plurimorum doctorum sententiis definitum esse non ambigo quod in resurrectionis illius ultimæ gloria non sint corporibus necessaria tegumenta, ubi nec infirmitas ulla erit, unde possit caro incorruptibilis atque immortalis occidi, nec i aliquod peccatum unde cogatur anima beata confundi: in tantum, ut majores nostri definiant eos qui talia credunt, id est, qui dicunt resuscitatos vestimentis egere, omnia bona quæ dicuntur futura eosdem posse non credere. Et tamen si erunt ibi, ut quidam causantur, quedam tegumenta velaminum, ^h utique incorruptibilia erunt, juxta quod Julianus Pomerius ait (*Ibidem*): « Si caro nostra non genere sed qualitate mutata, nec spiritus sed spiritualis effecta, carnalia non requiret, aut nulla in resurrectione vestimenta erunt, aut si erunt, ⁱ incorruptibilia credi debent, quæ sic sanctos vestiant, ut nulla eos sui sollicitudine in-

^h Pro panem habet Lips. plane.

ⁱ Necessitatem manducandi. L.

^j Aliquid peccatum. D.

^k Utique incorruptibilia corpora, incorruptibilibus vestimentis, utentur. L.

^l Incorruptibilium corporum, prorsus incorruptibilia. L.

^m Deest in in Duac.

A illius futuræ beatitudinis securitate distendant: aut forsitan illius generis indumenta erunt, qualibet se indutum propheta sub Ecclesiæ typo gratulatur, et dicit: *Quia induit me vestimento saluis, et indumentis justitiae circumdedit me* (Isai. lxi, 10), vestimentum salutis idem doctor ad carnem, indumentum vero justitiae ad animam referens. Item sequitur idem doctor: *Quod si ita est, et si concedatur resurgentibus vestimentis usuros, non talia illis erunt, quia fuisse leguntur Israëlitica vestimenta* (Deut. viii, 4), quia quamvis in quadraginta annos divina voluntate servata sint, tamen solita vetustate consumpta sunt. Nec qualia fuerunt in quibus Moyses et Elias in monte cum Domino (Math. xvii, 3), vel sancti angeli visi sunt, quæ et ipsa in nihilum, ^a de quo erant pro tempore sumpta, soluta sunt; sed forte talia erunt qualibus Dominus resurgens vestitus apparuit (Math. xxviii): si tamen et illa non fuerunt ad tempus propter ^b usus humanos assumpta, sed propria. Quoniam si ibi erunt, quæcumque vel qualicunque fuerint, spiritualium corporum spiritualia erunt: ac sic etsi nudi non erunt, tamen spirituales carnalibus non egebunt. *Hæc* siquidem Julianus Pomerius. Ceterum plurimorum doctorum evidens definitio, juxta quod et clara preceptoris nostri Eugenii sententia contestatur, hoc astruit: *Quod in illa futura gloria resurrectionis, ubi nulla corporibus sanctis deformitas, nulla quoque doloris aut laboris erit adversitas, non sit quoque tegminum necessarius unus, quibus erit omnia et in omnibus Christus* (Coloss. iii, 11).

CAPUT XXVII.

De abortivis fetibus; et quia homo ex quo incipit in matris utero vivere, ex tunc credatur ad resurrectionem ultimam pertinere.

Si potest certum haberi quando incipiat homo in matris utero vivere, ex tunc quoque veraciter definiri potest quod mori utique potuisset, sivecum qui vitam habuit et mori potuit, resurrectionis tempore reparari. Nam et beatus Augustinus hanc questionem non tam disserens quam proponens, inter cetera sic dicit (Enchir. cap. 86): *Ex quo incipit homo vivere, ex illo utique mori potest. Mortuus vero, ubique illi mors potuit evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum?*, *Julianus quoque Pomerius ait: Sane illi qui projectantur ex utero, resurrecti sunt, si vixerunt, non judicandi, sed puniendi; quia cum essent ^d Adæ peccato damnati, non sunt suæ damnationis nexibus absoluti. Et tamen sive in utero, sive jam nati, vita priventur infantes, in ea aetate resurrecti creduntur, ad quam profecto essent, si viverent, auctoribus subsequentibus per venturi; quia si naturam resurrectio reparabit, aliquid deesse plenitudini naturæ non poterit.*

^a De quo erant desunt in D.

^b Viatis humanos. D.

^c Adjicit Lip. reperire non possum.

CAPUT XXVIII.
De his qui cum majore vel minore membrorum numero, vel qui cum duobus capitibus, et uno corpore, aut duobus corporibus et uno capite, vel cætero genere monstruoso nascuntur, qualiter resurrecti credantur.

De hac quæstione ita beatus Augustinus eloquitur (Enchir. cap. 87): *Neque enim, ait, monstra quæ nascuntur et vivunt, quamlibet cito moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt, ac non potius correcta emendataque natura. Absit enim ut illum bimembrem, qui nuper in Oriente natus est, de quo fratres fidelissimi quod viderint retulerint, et sancte memorie Hieronymus presbyter scriptum reliquit, absit, inquam, ut unum hominem duplice, ac non potius duos, quod futurum erat si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus. Ita cætera quæ singuli partus vel amplius vel minus aliquid habendo, vel quæ quadam nimia deformitate monstra vocantur, ad humanae naturæ figuram in resurrectione revocabuntur; ita ut singulæ animæ singula sua corpora obtineant, nullis haerentibus etiam quæ cohaerentia ^c nata fuerant, sed seorsum singulis sibi sua membra gestantibus, quibus humani corporis completur integritas.* Julianus quoque Pomerius, predicti doctoris sententiam sequens, ait: *Illud etiam sic mihi videtur intelligi, ut caro nostra sive cum minore membrorum sive cum ampliore numero nascatur, cum membris solitis et congruentibus ^f suæ integratæ resurgat, quia tam in eis quæ minus, quam in eis quæ amplius fuerint, debilitas est, quæ hic*

C quidem videtur nature contraria, sed in futura reparatione corporis nostri sicut corruptio vel mortalitas, sic ipsa creditur auferenda; ut caro nostra surgat suis omnibus partibus tota, et sine imminutione vel adjecitione membrorum secundum modum formæ suæ perfecta. Corpora quoque, sive duo cum capite uno nascantur, sive unum cum duobus capitibus corpus, quamvis modus quo hæc flant nobis et præcipue mihi habeatur incertus, tamen unde certus sum, sine ulla ambiguitate prænuntio, quod aut duo corpora cum capitibus suis resurgent, si in eis duæ natæ sunt animæ, quoniam negari non potest singulas quæque animas singula corpora quæ amiserunt immortaliter recepturas; aut si una anima nascitur, sive in uno corpore et duobus capitibus, sive in duobus corporibus et capite uno, unum recipiet corpus. Ac per hoc natura carnis nostræ, sive amittendo quod ei superfuit, sive recuperando quod defuit, in suam plenitudinem reformata, sicut sine ulla corruptione, ita sine ulla infirmitate spiritui suo immortaliter inhæredit.

CAPUT XXIX.

Quod hi qui nunc a bestiis comeduntur, aut diversa lanatione truncantur, resurgentes integratæ sui corporis obtinebunt.

Non perit Deo, ait sanctus Augustinus (Enchir. cap. 88), terrena materies, de qua mortalium crea-

^d Adæ damnatione. L.

^e Naturæ. D.

^f Sua integratæ. L.

tur caro; sed in quemlibet pulverem cineremque solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunque animalium aut etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi animae humanae puncto redit, quae illam primitus ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit. Hanc quoque questionem beatus Gregorius in suis tractatibus proponens pariter et solvens ait (*In Ezech. lib. II, homil. 8, n. 8*): « Sæpe objicere inanem questiunculam solent, qui dicunt: Carnem hominis lupus comedit, lupum leo devoravit, leo moriens ad pulverem rediit: cum pulvis ille suscittatur, quomodo caro hominis a lupi et leonis carne dividitur? Quibus respondere non aliud debemus, nisi ut prius cogitent qualiter in hoc mundo venerint, et tunc invenient qualiter resurgent. Certe tu homo qui loqueris, aliquando in matris utero spuma sanguinis fuisti; ibi quippe ex patris semine et matris sanguine parvus ac liquidus globus eras. Dic ergo, si nosti, qualiter ille humor seminis et sanguinis in ossibus duruit, qualiter in medullis liquidus remansit, qualiter in nervis solidatus est, qualiter in carnis crevit, qualiter in cute extensus est, qualiter in capillis atque unguibus distinctus, ut capilli molliores carnibus, et unguis essent tenuiores ossibus, carnibus duriores? Si igitur tot et tanta ex uno semine et per species distincta sunt, et tamen in forma remanent coniuncta, quid mirum si possit omnipotens Deus in illa resurrectione mortuorum carnem hominis distinguere a carne bestiarum, ut unus idemque pulvis, et non resurgat, in quantum pulvis lupi et leonis est, et tamen resurgat, in quantum pulvis est hominis? »

CAPUT XXX.

Quod hi qui de hac vita debiles exierunt, cum suis integris membris in resurrectione futuri sint.

Si quis, debilis corpore, truncatus confractusque de hac vita exierit, non dubium quod debita integritate membrorum suorum possit tempore resurrectionis reparari; ut quidquid in illo aut infirmitas turpe, aut aliena efficit crudelitas debile, ita tunc hoc immortalitatis pulchritudo reformat, ut nec superflua, indecora, nec detracta, videantur ibi esse deformia. Ita enim ex hoc ait beatissimus Augustinus (*De Cœrit. Dei, lib. XXII, cap. 19*): « Non est macris pinguisque metuendum ne ibi tales sint, quales si possent nec hic esse voluissent. Omnis enim corporis pulchritudo est partium congruentia cum quadam coloris sui suavitate. Ubi autem non est partium congruentia, aut ideo quid offendit, quia parum est, aut ideo quia nimium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, ubi et quæ

^a Sæpe quidam qui dicunt. L.

^b Mente habet D. pro in cute.

^c Duac. : Si quis est... confractus qui de hac vita.

^d Sibi. D.

^e Lips., quia prarum est, aut ideo quia pareum, aut ideo quia nimium.

^f Quamvis. L.

^g Lips.: Si capilli toties tonsi, unguesque deseccti

A parva sunt corrigentur, et quod minus est quam deceat, unde creator novit inde supplebitur, et quod plus est quam deceat, materie servata integritate, detrahatur. Hujus ergo doctoris prudenti definitione erudit, restat ut et illos quos cum senis digitis manuum et pedum oculis nostris inspeximus, non cum ea deformitate resurrecturos esse credamus, sed corporis integritate servata cum eo digitorum numero illos esse futuros, qui corporalem partium congruentiam servant. Congruentiam enim corporalium partium dico, sicut debito ordine nascendi agitur, ut in unoquoque homine duo sint oculi, duæ aures, quini digits manuum, quini etiam digits pedum habeantur, nulla numerositate adiecta vel minorata, quæ deformitatem inferat partium, sic tamen ut nihil creditur B de corpore esse peritum. Dicit enim sanctus Augustinus (*Ubi supra*): « Neque hoc dixerim quod aliquid aestimeam corpori cuiquam peritum, quod naturaliter inerat, sed quod deforme natum erat. »

CAPUT XXXI.

Utrum in resurrectione quidquid unguibus vel capillis nostris per tonsuram vel sectionem detractum est redintegrari credatur.

Ait ex hoc beatissimus Augustinus (*Enchir. cap. 89*): « Ipsa itaque terrena materies, quæ discedente anima fit cadaver, non ita in resurrectione reparabitur, ut ea quæ dilabuntur, et in alias atque alias rerum aliarum species vertuntur, cum ad corpus redeant unde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes ubi fuerint redire necesse sit. Alioquin si capillis capitum redit quod tam crebra tonsura detraxit, si unguibus quod toties dempsit execatio, immoderata et indecessus cogitantibus, et resurrectionem carnis non creditibus occurrit informitas. » Ergo, ut idem doctor in alio suo opere ait (*De Civit. Dei, lib. XXII, cap. 19*): « Si capilli toties tonsi, unguesque desecatae ad sua loca propter deformitatem non redibunt, nec tamen cuique resurgent peribunt: quia in eamdem carnem, ut quemeunque ibi locum corporis teneant, servata partium congruentia, materie mutabilitate vertuntur. Quamvis quod ait Dominus: *Capillus capitum vestrum non peribit* (*Luc. XXI, 48*), non de longitudine, sed de numero capillorum dictum multe potius possit intelligi. Unde et alibi dicit: *Capilli capitum vestrum omnes numerati sunt*, (*Matth. X, 30*). Item idem doctor, similitudinem pro hac re adhibens dicit (*Ibidem*): « Quid jam respondeam de capillis atque unguibus? Semel quippe intellecto, ita nihil peritum esse de corpore, ut deforme nihil sit in corpore, simul intelligitur i ea quæ deformem factura fuerant enormitatem massæ, ipsa accessura esse, non locis in quibus membrorum ad sua loca redeant, cum deformitate non redibunt, nec tamen, etc. Editio Maurina ad Duac. magis accedit: Si capilli . . . unguesque desecti ad sua loca deformiter redeant, non redibunt. ^b Materie. D. ⁱ Intelligo. L. ^j Lips.: Ea quæ formæ factura fuerant enormitatem, massæ accessura esse. Digitized by Google

lorina turpetur. Velut si de limo vas fieret, quod rursum in eundum limum redactum, ^a de toto iterum fieret, non esset necesse ut illa pars limi que ^b in ansa fuerat, ad ansam rediret, aut que fundum fecerat, ipsa rursum ficeret fundum; dum tamen totum reverteretur in totum, id est, totus ille limus in totum vas nulla sui perdita parte ^c remaneret. Sic ergo, ut idem doctor ait (*Enchir. cap. 89*): «Non attinebit ad corporis reintegrationem utrum capilli ad capillos redeant, et ungues ad ungues, an quicquid eorum perierat mutetur in carnem, et in alias partes corporis revocetur, curante Dei providentia, ne quid indecens fiat. »

CAPUT XXXII.

Qualiter hi qui de massa perditionis discreti non sunt, resurrecturi sint.

« Quicunque, ait beatissimus Augustinus (*Enchir. cap. 92*), ab illa perditionis massa que facta est per hominem primum non liberantur, ^d resurgent etiam ipsi cum carne, sed ut cum diabolo et ejus angelis puniantur. Utrum sane ipsi cum vitiis et deformitatibus suorum corporum resurgent, quicunque in eis vitiosa et deformia membra gestarunt, inquirendo laborare quid opus est? Neque enim fatigare nos debet eorum incerta habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio. Nec moveat quomodo in eis corpus incorruptibile erit, si dolere poterit, aut quomodo corruptibile, si mori non poterit. Non est enim vera vita, nisi ubi feliciter vivitur; nec vera incorruption, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non sinitur, ^e aut, ut ita dicam, mors ipsa non moritur, et ubi dolor perpetuus non intermit, sed affigit, ^f et ipsa corruptio non finitur, haec in sanctis Scripturis secunda mors dicitur » (*Apoc. xx, 6*).

CAPUT XXXIII.

De ordine futuri iudicii.

Sicut alios esse diximus, qui ^g cum Deo judices considerant, ita alii esse credendi sunt, qui eorum consentientium examine judicantur. ^h Duæ enim differentiae vel ordines hominum erunt in iudicio collectorum, hoc est electorum et reproborum, qui tamen in quatuor dividuntur. Perfectorum ordo est unus, qui cum Deo iudicatur, de quibus Dominus ait: *Sedebitis et vos super sedes duodecim* (*Matth. xix, 28*). Hi non judicantur, sed regnant. Alius quoque est ordo electorum, quibus dicetur: *Esuriri et dedicatis mihi manducare* (*Matth. xv, 35*). Hi judicantur et regnant. Item reproborum ordines duo sunt. Unus eorum qui extra Ecclesiam inveniendi sunt. Hi non judicantur et pereunt: de quibus et Psalmista ait: *Non resurgent impii in iudicio* (*Psal. i, 5*). Alter quoque ordo reproborum est, qui judicabuntur et peribunt, quibus dicetur:

^a *Totum de toto. L.*

^b *In massa..... ad massam. L. male..*

^c *Lips., remanente. Editio Maurina, remearet.*

^d *Lips.: per unum mediatorem Dei et hominum, resurgent etiam ipsi unusquisque cum sua carne.*

^e *Ait deest in Lips.*

^f *Et deest similiter in Lips. ideoque alium sensum elicere.*

A Esuriri et non dedicatis mihi manducare: ite, maledictos, in ignem aeternum (Matth. xxv, 41, 42).

CAPUT XXXIV.

De bonorum malorumque discretione.

Ecce Psalmista ait: *Adrocarit i caelos desursum, et terram discernere populum suum* (*Psal. xlix, 4*). Quid est quod dicit. *Discernere populum suum?* nisi per judicium separare bonos a malis, tanquam oves ab haedis. Nam oves tunc statuet a dextris suis, hædos autem a sinistris.

CAPUT XXXV.

Quod ipsa separatio bonorum a malis per angelica ministeria fiet.

Bonorum malorumque diremptio, sive etiam separatio, per angelos impleri posse credeenda est. Nam B cum Psalmista diceret: « *Advocavit caelos sursum, et terram discernere populum suum* (*Psal. xlix, 4*), quod dixit, *discernere populum suum*, ad bonorum malorumque separationem pertinet. Statimque subjecit: *Congregate illi sanctos ejus*. Quibus enim dictum est: *Congregate illi sanctos ejus*, nisi utique angelis? Sic enim sanctus Augustinus dicit in hoc loco (*Enarrat. in psal. xlix*): « *Conversio sermonis ad angelos facta est, cum Propheta diceret: Congregate illi sanctos ejus. Profecto enim per angelicum ministerium res tanta peragenda est.* »

CAPUT XXXVI.

Quod separatis in dexteram partem bonis, in sinistram vero malis, libri aperti erunt, id est, conscientie singulorum.

Separatis igitur per angelica ministeria bonis a malis, et electis quidem a dextris, reprobis vero a sinistris astantibus, tunc libri aperti erunt, id est, conscientie singulorum. Joannes enim apostolus dicit: *Vidi mortuos magnos et pusillos, et aperti sunt libri: et aliis liber apertus est, qui est vita uniuscunusque: et iudicati sunt mortui ex ipsis Scripturis secundum facta sua* (*Apoc. xx, 12*). Libros videlicet volens intelligi sanctos omnes Novi et Veteris Testamenti, in quorum vita velut in libris cognoscimus quid facere debeamus. In isto autem libro de quo dicitur: *Alius liber apertus est, qui est vita uniuscunusque, quid boni quis fecisset, sive non fecisset, quasi in divina virtute cognoscitur. Qui liber,* juxta quod sanctus Augustinus ait (*De Civit. Dei, lib. xx, cap. 14*), « si carnaliter cogitet, quis ejus magnitudinem vel longitudinem valeat estimare? Aut quanto tempore legi poterit liber in quo scriptæ sunt universæ vitae universorum? Aut tantus angelorum numerus erit, quantus hominum, et vitam suam unusquisque ab angelo sibi adhibito audiet recitari? Non ergo unus liber erit omnium, sed singuli singulorum. Scriptura vero ista unum volens intelligi: Et

^g *Lips., cum Christo,*

^h *Duæ enim sunt differen. i.e., ut in iudicio ordines hominum. L.*

ⁱ *Lips.: Cœlum sursum, et terram, ut discernaret.*

^j *Lips. habet eam. lectionem quam supra annuntiavimus.*

alius, inquit, liber apertus est. Quædam igitur vis est A intelligenda divina, quæ faciet ut cuique sua opera vel bona vel mala cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excusat conscientia, atque simul et omnes et singuli judicentur. Quæ nimis vis divina libri nomen accepit. In eadem quippe legitur quodammodo quicquid ea faciente recolitur. Tunc commemoratur est Dominus electis suis quæ in Evangelio commemoranda prædixit, ita dicens: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum regnum a constitutione mundi: esurivi enim, et dedisti mihi manducare; hospes eram, et collegistis me;* b *infirmus, et visitastis me; in carcere, et venistis ad me* (*Math. xxv, 34-36*). Ad sinistram quoque partem astantibus c imputaturus est quod ea non fecissent quæ in dexteram partem astantes fecisse commemorat. His duobus Domini nostri sermonibus finitis, uno quo electis quæ bona egerunt numerantur, altero quo reprobis quod ea non fecerint imputatur, Ibant impii, ut ipsa Veritas dicit, in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam (*Math. xxv, 46*).

CAPUT XXXVII.

De auditu malo, quem justi non timebunt.

Judicatis ergo impiis, atque in ignem aeternum missis, Domino dicente ipsis: *Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Ibid., 41*); hoo malo auditu justi penitus non timebunt, qui jam in dextram partem collocati sunt. Auditus enim malus hic intelligitur quibus a Domino perpetuus ignis minatur: a quo nos, Christe, tunc d sola pietate eripias, et tibi capiti nostro conregnatores ascribas

CAPUT XXXVIII.

De precipitacione diaboli, et perditione impiorum.

Sanctus Joannes apostolus præcipitationem diaboli in ignem aeternum evidenter insinuans dicit. Cum præmitteret dicens: *Et judicati sunt singuli secundum facta sua* (*Apoc. xx, 12*), breviter subjecit quemadmodum fuerunt iudicati: *Et mors et infernus, inquit, missi sunt in stagnum ignis* (*Ibid., 14*). Hic e omnibus significans diabolum, qui est auctor mortis infernali poenarum, cum universorum simul demonum societate. Hoc est enim quod supra evidenter præoccupando jam dixerat: *Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris.*

CAPUT XXXIX.

Qualis est liber ille de quo Joannes apostolus dicit quod omnes qui tunc non fuerint inventi scripti in libro vita, in stagnum ignis mittantur.

Scriptis sanctus Joannes in revelatione sua (*Apoc.*

a Lips., scientia conscientiam.

b Lips. loco hujus infirmus, et visitasti me, habet nudus, et cooperieris me.

c Astantibus reprobis. L.

d Lips., solita pietate eripias, et.... congregando ascrivas.

e Lips., omnibus nominibus.

f Lips.: *Quoniam mortis est auctor, infernali poenarumque*

xx, 15), inter cetera quæ de resurrectione narravit, quod qui non fuerint inventi in libro vita conscripti, mittantur in stagnum ignis. Et haec quidem dicens, non ait Deum pati oblivionem, et quasi libri hujus revolutione nescita cognoscere; Sed liber iste, juxta quod sanctus Augustinus ait (*De Civit. Dei, lib. xx, cap. 15*), prædestinationem significat eorum quibus aeterna vita donabitur. Neque enim nescit Deus eos, et in hoc libro legit, ut sciat; sed ipsa ejus prescientia de illis, quæ falli non potest, liber est vita, in quo sunt scripti, id est, ante præcogniti. :

CAPUT XL.

Quod in igne impiorum corpora durent absque sui consumptione.

B Sanctus Augustinus multis et variis exemplorum generibus agens (*de Civit. Dei, lib. xxi*), id pro certo asseverasse dignoscitur, quod impiorum corpora absque sui consumptione et sempiterno igne ardeant, et ea ipsa corpora combustio ignium non absumat; quia et sempiterno igne ardebunt, et mori omnino non poterunt. Quid igitur? ait idem doctor (*Ibid., cap. 2*). Ostendam unde convincantur increduli posse humana corpora animata non solum nunquam morte dissolvi, sed in aeternorum quoque ignium durare tormentis. Item post aliqua dicit (*Cap. 3*): *Anima cujus praesentia corpus vivit et regitur, et dolorem pati potest et mori omnino non potest. Ecce inventa res est, quæ cum sensu doloris habeat, immortalis est.* Hoc igitur erit tunc in corporibus C damnatorum, quod nunc esse scimus in animis omnium. Quod cum ita sit, quid adhuc nobis, ait (*Cap. 4*), rerum poscentur exempla, quibus doceamur non esse incredibile ut hominum corpora i sempiterno igne damnata, et in igne animam non amittant, et sine detimento ardeant, et sine interitu doleant? :

CAPUT XLI.

Quomodo dæmones futurus ille ignis exaret.

D Cur enim, ait sanctus Augustinus (*De Civit. Dei, lib. xxi, cap. 10*), non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse ponna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, et nunc i possunt includi corporalibus membris, et tunc poterant corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Item idem post aliqua dicit: At vero gehenna illa, quæ etiam stagnum ignis et sulphuris dicta est, corporeus igitur erit, et cruciabit corpora danuviorum k, aut hominum, aut dæmonum; sed solida hominum, aeria dæmonum: aut tantum hominum corpora cum spiritibus, dæmones autem spiritus sine corporibus hærentes, sumendo prænam, non impertiendo vitam corporalium, universarumque simul dæmonum societatum.

g Et riventia. L.

k Pro ait habet Duac. aut.

i Sempiterno suppicio punienda. L.

j Lips., poterant, quod paulo post non habent.

k Aut hominum, et dæmonum Lips. Aut et hominum, et dæmonum. Editio Maurina.

ratibus ignibus. Unus quippe ignis erit, sicut Veritas A dixit (*Math. xxv, 41*).^a

CAPUT XLII.

De diversitate paenarum pro diversitate meritorum.

Mitissima omnium poena erit eorum qui præter peccatum quod originale traxerunt, nullum superaddiderunt. Et in cæteris qui addiderunt, tanto quaque ibi tolerabiliorem habebit damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem. Nam omnino negari non potest etiam ipsum æternum ignem pro diversitate meritorum, quamvis malorum, aliis leviorum, aliis futurum esse graviorem: sive ipsius vis et ardor pro digna cujusque poena varietur, sive ipse æqualiter ardeat, etsi non æquali molestia sentitur.

CAPUT XLIII.

Contra illos qui scrupulosissime querunt qualis sit ille ignis futurus, vel in qua mundi parte haberi possit.

Minorum scientia majorum scientiae comparata, si temere non dicam, a scientiae segnities quædam est appellanda. Unde quod majores et studiosi se ignorasse dixerunt, periculoso valde et superfluum est, si quidquam inde a nobis definiri ullo modo præsumatur; cum beatus Augustinus de eo ipso igne sic docens, ita dicere videatur (*De Civit. Dei, lib. xx, cap. 16*). Cum enim de futura damnatione impiorum præmitteret dicens: « Judicatis quippe his qui scripti non sunt in libro vitæ, et in æternum ignem missis, » adjectit: « Qui ignis cuiusmodi vel in qua mundi parte vel rerum futurus sit, neminem scire arbitror, nisi forte cui divinus Spiritus ostendit. »

CAPUT XLIV.

Quod post damnationem impiorum sequatur remuneratio electorum.

Ordo verborum promissionis Dominicæ, quo « Dominum nostrum et sanctis regnum, et reprobis credimus daturum perenne supplicium, ita se habet, ut præcurrat impiorum damnatio, et post sequatur remuneratio, Christo Domino prædicente: *Ibunt impiorum supplicium æternum; justi autem in vitam* (*Math. xxv, 46*). In Apocalypsi quoque servatum hunc ordinem legimus, ubi signanter expressus est. Prius enim de diaboli ac suorum omnium poena refertur, et dicitur: *Mors et infernus missi sunt in stagnum ignis* (*Apoc. xx, 14*); « post inde de sanctorum beatitudine futura subjungitur: *Et vidi cælum novum, et terram novam* (*Apoc. xxi, 1*). Quibus verbis datur intelligi quod justo Dei judicio prius peccatoribus irrogetur supplicium, et postea sanctis æternorum tribuantur præmia meritorum.

^a Scientie deest in L.

^b Quia pro qui habet male Duac.

^c Dominum Christum. L.

Expressum. D.

Adjicit insuper Lip.: *Et omnis qui non est inventus scriptus in libro vita, missus est in stagnum ignis.*

CAPUT XLV.

Quod peracto judicio, transiet forma servi in qua iudicium Christus agitabit, et sic tradet Christus regnum Deo et Patri.

Forma servi ^c in qua Christus ad judicium faciendum judex venturus est, juxta quod maiorum style prescribitur, peracto judicio transiet, quam ad hoc presentaverat ut judicium ficeret. Transiet, dictum est, forma illa, non quod prætereat, sed quod de judicio ad regnum transeat. Vel certe nobis Dominus post judicium transit, juxta quod beatus Gregorius dicit (*In Evang. lib. 1, homil. 13, n. 4*), « quia ab humilitate sue forma in divinitatis sue contemplationem nos elevat. Et transire ejus est in claritatis speculationem nos ducere, cum eum quem in humanitate in judicio cernimus, etiam in divinitate post judicium viderimus. » Jam vero post judicium perget hinc, et ducet secum corpus, cuius caput est, et offeret regnum Deo et Patri (*I Cor. xv, 24*). Quomodo ergo traditur est regnum Deo et Patri, nisi cum visionem deitatis sue, in qua unus est cum Patre, dilectoribus suis ostenderit? Et cum nos membra sua ad cognitionem et visionem, quam cum Patre et Spiritu sancto æqualis creditur, manifeste perduxerit, tunc ^d plane videbitur forma illa ab electis, quæ videri non potuit ab inquis.

CAPUT XLVI.

De conflagratione ignis, qua mundus hic dicitur incire.

Evidenti majorum sententia definitur quod, peracto judicio, tunc desinet esse hoc cœlum, ⁱ et hæc terra, quando incipit esse cœlum novum et terra nova. Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus. Tunc ergo figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione peribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium. Illa itaque conflagratione mundi, ut dixi, elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptilibus congruebant, ardendo penitus interibunt; atque ipsa substantia eas qualitates habebit quæ corporibus immortalibus mirabiliter immutatione convenient, ut scilicet mundus in melius innovatus apte accommodetur hominibus etiam carne in melius innovatis.

CAPUT XLVII.

Quod finito judicio incipiat esse cœlum novum et terra nova.

Ut ait beatissimus Augustinus (*De Civit. Dei, lib. xx, cap. 16*), peracto finitoque judicio, tunc esse desinet hoc cœlum et hæc terra, quando incipiet esse cœlum novum et terra nova. Mutatione namque rerum, non omnino interitu transibit hic mundus. Unde Apostolus dicit: *Præterit ergo figura*

^f Munera præmiorum. L.

^g In qua ad faciendum judicium videndum est Christus. L.

^b Plene. L.

ⁱ Hæc deest in Duac.

^j Mutatione. L.

hujus mundi (*I Cor. vii, 31*); figura ergo ^a præterit, A dictum est, *Transit*, quasi de judicio ad regnum reddit. »

CAPUT XLVIII.

Quod in caelo novo et terra nova non omnes resurgententes, sed sancti futuri sunt.

Juxta quod ^b in quibusdam codicibus legimus, peccatores et impii, quamvis resurgententes immortales et incorruptibles sint, tamen in terra nova omnino non erunt, quia ab illa immutatione sanctorum prorsus alieni futuri sunt. Nam cum Apostolus dicat: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (*I Cor. xv, 51*), resurrectionem omnibus generaliter insinuat esse futuram, immutationem vero gloriæ tantum sanctorum annumerat.

CAPUT XLIX.

Contra eos qui dicunt, si post factum judicium erit conflagratio mundi, ubi tunc esse poterunt sancti, qui non contingantur flamma incendi?

Hanc quæstionem ita beatus Augustinus dissolvit (*De Civit. Dei, lib. x, cap. 18*): « Quærerit, ait, forsitan aliquis, si post factum judicium mundus iste ardebit, antequam pro eo cœlum novum et terra nova repotatur, eo ipso tempore conflagrationis ejus ubi erunt sancti? cum eos habentes corpora in aliquo corporali loco esse necesse sit. Possumus respondere, futuros eos esse in superioribus ^c, quo ita non ascendet flamma incendi, quemadmodum nec unda diluvii. Talia quippe illis erunt corpora, ut illuc sint ubi esse voluerint. Sed nec ignem conflagrationis illius pertimescent, immortales atque incorruptibles facti, sicut virorum trium corruptibilia corpora atque mortalia in camino ardenti illæsa vivere potuerunt (*Dan. iii, 94*). »

CAPUT L.

De remunerazione sanctorum, et regno, cum Christus præcingeret se, et transiens ministrabit suis.

Remuneratio sanctorum visio Dei est, quæ nobis ineffabile gaudium exhibebit. De hac ergo remuneratione, ut arbitror, propheta dicebat, quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum* (*Isai. lxiv, 4; I Cor. ii, 9*). Ipsa quoque Veritas remunerationis loco hujus visionis suæ manifestationem ponens, eamque dilectoribus suis promittens, dicit: *Qui diligit me, mandata mea servabit; et qui diligit me, diligitur a Patre meo; et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum* (*Joan. xiv, 21*). Etenim, secundum verba ipsius ^d sancte Veritatis, tunc præcingeret se, et faciet ^e nos discubere, et transiens ministrabit nobis (*Luc. xii, 37*). « Præcingerit ergo se, ut ait beatus Gregorius (*In Evang. lib. i, homil. 13, n. 4*), id est, ad retributionem præparat. Faciet nos discubere, id est, in æterna quiete soveri: discubere quippe nostrum in regno quiescere est. Transiens autem nobis Dominus tunc ministrat, quia lucis suæ illustratione nos satiat. Quod enim

^a *Priæterit.* L.

^b *In quorundam codicibus.* L.

^c *Partibus.* L.

CAPUT LI.

Quod mali tunc nesciant quid agatur in gaudio beatorum, boni tamen sciant quid agatur in suppliciis miserorum.

Qui erunt in poenis, quid agatur intus in gaudio Domini nescient; qui vero erunt in illo gaudio, quid agatur foris in illis tenebris exterioribus scient. Ideo dictum est per prophetam de sanctis: *Egredientur et videbunt membra hominum, qui prævaricati sunt in me* (*Isai. ult., 24*). Sed quod dixit, *egredientur*, quasi per scientiam egressuri sunt; quia scilicet etiam eos qui foris ab eis erunt utique non latebunt. Si enim prophetæ hæc nondum facta nosse potuerunt, per hoc quod erat Deus quantumcumque in eorum mortalium mentibus, quomodo immortales sancti jam facta tunc nescient, cum Deus erit omnia in omnibus (*I Cor. xv, 28*)?

CAPUT LII.

Quod in isto corpore in quo modo sumus in cœlis tunc et portari et habitare possimus.

Contra Platonicos, qui dicunt humanum corpus cœlos non posse ascendere, sanctus Augustinus liberaliter disputans (*De Civit. Dei, lib. xiiii, cap. 11*), hoc definit, hoc etiam miris rationum exemplis convincit, quod corpora nostra, immortalia post resurrectionem effecta, cœlorum habitaculo teneantur. Nam utique post resurrectionem sanctis in carne promissa est cœlorum ascensio; dicente ad Patrem Christo: *Volo ut ubi sum ego, et ipsi sint mecum* (*Joan. xix, 24*). Si enim membra ^f capitum sumvs, et unus in se et in nobis est Christus, utique ubi ipse ascendit, et nos ascensuri sumus.

CAPUT LIII.

Utrum subtiliores tunc motus corporis habeamus, antea tales erunt sicut modo haberí videntur.

De motibus corporis sanctus Augustinus definitam ponere sententiam expavescens, sic ait (*Ibid., cap. 30*): « Qui motus illuc talium corporum futuri sint definire non audeo, quod nec excogitare valeo. Tamen et motus, et status, sicut et ipsa species decens erit, quicunque erit, ubi quod non decebit non erit. Certe ubi voluerit spiritus, ibi protinus erit corpus; nec volet aliquid spiritus quod nec ipsum possit decere, nec corpus. »

CAPUT LIV.

Utrum per corporeos oculos istos, quibus nunc cernimus solem et lunam, videatur tunc Deus.

De oculis istis corporeis sanctus Augustinus perspicaciter disputans (*Ibid., cap. 29*), utrum per ipsos Deum in futura vita videre possimus, sic ait: « Cum ex me queritis, inquit, quid acturi sunt oculi isti in illo corpore spirituali, non dico quod jam video, sed dico quod credo secundum illud quod in psalmo lego: *Credidi, propter quod locutus sum* (*Psal. cxv, 1*). Dico itaque, visuri sunt Deum in isto corpore.

^d *Sanctæ Trinitatis. Duac.*

^e *Pro nos, habet Duac. illos.*

^f *Corporis. L.*

ASed utrum per ipsum, sicut per corpus nunc videamus solem, lunam, stellas, mare et terram, et quae in ea sunt, non parva quaestio est. Durum est enim credere quod sancti talia tunc corpora habebunt, ut non possint oculos claudere et aperire cum volent; durus autem, quod ibi Deum quisquis oculos clauserit, non videbit. Absit ergo ut dicamus sanctos in illa vita Deum oculis clavis non visuros, quem spiritu semper videbunt. Sed utrum videbunt Deum per istos oculos corporis cum eos apertos habuerint, inde quaestio est. Si enim tantum poterunt in corpore spirituali eo modo utique ipsi etiam oculi spiritiales, quantum possunt isti, quales nunc habemus, proculdubio Deus videri per eos non poterit. Longe itaque alterius erunt a potentia, si per eos videbitur incorpores illa natura, quae non continetur loco, sed est ubique tota. Quamobrem, juxta quod idem doctor affirmat, « Fieri potest, valdeque credibile est, sic nos esse visuros mundana tunc corpora caeli novi et terre novae, ut Deum utique presentem, et universa etiam corporalia gubernantem, per corpora quae gestabimus, et quae conspiciemus, quoquoversum oculos duxerimus, clarissima perspicuitate videamus. Non sicut nunc invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur (*Rom. 1, 20*), in enigmate per speculum ex parte (*I Cor. XIII, 12*), ubi plus in nobis valet fides qua credimus, quam rerum corporalium species, quas per oculos cernimus corporales. Sed sicut nunc homines inter quos viventes, motusque vitales exerentes vivimus, mox ut aspicimus, non credimus vivere, sed videmus, cum eorum vitam sine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora remota omni ambiguitate conspicimus; ita quacunque spiritualia illa lumina corporum nostrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem etiam per corpora contuebimus. Aut ergo sic per illos oculos videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia mentis simile, quo et incorporea natura cernatur, quod ullis exemplis sive testimoniosis divinarum Scripturarum vel difficile est, vel impossibile ostendere; aut quod ad intelligendum facilius est, ita Deus totus erit nobis aequo conspicuus, ut videatur spiritu a singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in seipso, videatur in caelo novo et in terra nova, atque in omni quae tunc fuerit, videatur creatura, et per corpora in omni corpore, quoquaque fuerint spiritualis corporis oculi acie perveniente directi. Patebunt etiam cogitationes nostre invicem nobis. Tunc enim implebitur quod Apostolus cum dixisset: *Nolite ante tempus judicare, mox addidit: donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis, et tunc laus erit unicuique a Deo* (*I Cor. IV, 5*). »

^a *Valentie, hahet Lips. pro potentiae.*

^b *Utique. Dnac.*

^c *Quicunque. Dnac.*

^d *Est deest in Dnac.*

^e *In singulis nobis. Desunt haec verba in Lips., sed habet etiam edit. Maur. S. August.*

^f *Illuminabit. L.*

CAPUT LV.

Quod ea visione tunc Deum ridebimus, qua nunc eum angeli vident.

Christum dixisse in Evangelio legimus: *Videte ne contempnatis unum de pusillis istis; dico enim vobis, quia & angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in caelis est* (*Matth. XVIII, 10*). Sicut ergo illi vident, ita et nos visuri sumus, sed needum videmus. Propter quod ait Apostolus: *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem* (*I Cor. XIII, 12*). Primum itaque nobis fidei visio ista servatur, de qua et Joannes apostolus loquitur: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan. III, 2*). Facies autem Dei manifestatio ejus intelligenda est: non aliquod tale membrum quale nos habemus in corpore, quod utique isto nomine nuncupamus. Similes ergo tunc angelis erimus, quia sicut illi nunc vident, ita nos Deum post resurrectionem videbimus. »

CAPUT LVI.

Quod arbitrii libertate multo plus firmiori quam in hac vita omnes sancti usuri sunt, in qua tamen peccare non poterunt.

Liberi arbitrii, facultatem majorem nobis in illa vita inesse quam hic, universitas doctorum patenter insinuat. Nam si in hac vita, ut quidam ait, plerique libera voluntate vivunt, ubi etsi peccata cavere possunt, tamen sine peccato esse non possunt; quomodo non ibi liberiori animo erunt, ubi sic adhaesuri sunt Deo suo, ut nulli possint obnoxiar peccato? Tanto enim quis liberior fit, quanto absolutior a peccatis. Ac sic in illa vita beata eo liberiores erunt, quo peccare non poterunt. Nam juxta quod mihi videtur, si aequalitas nobis promittitur angelorum, quomodo nobis tunc non erit liberum arbitrium, quo illi ad laudandum Deum sine intermissione utuntur? Quod tamen utrum in reprobis habeatur, est fortasse ambiguum; quia juxta cuiusdam de hac quaestione hesitantis sententiam, in illis qui alieni erunt a vita sanctorum, nescio an esse possit liberum ^b utcunque arbitrium, quibus ⁱ in ultricium missis combustio nem flammarum, nec animus nec corpus erit ullo modo liberum.

CAPUT LVII.

Quod ibi oblivionem pariter et recordationem habemus.

^DQuantum attinet ad scientiam ^j rationalem, memor quisque praetitorum suorum malorum erit; quantum autem ad experientis sensum prorsus immemor erit. Nam et peritissimus medicus, sicut arte sciuntur, omnes fere morbos novit; sicut autem corpore sentiuntur, plurimos nescit, quos ipse non passus est. Ut ergo scientiae malorum duc sunt, una qua ^k potentiam mentis non latent, altera qua experientis

^s *Angeli eorum in caelis. L.*

^b *Utrumque arbitrium. L.*

ⁱ *In aeternum ultricum. L.*

^j *Rationabilem. L.*

^k *Duc, potentia mentis non latet, altera, quae experientis sensibus inheret.*

sensibus inhererent (aliter quippe sciuntur vitia omnia per sapientiae doctrinam, aliter per insipientis pessimam vitam) : ita et oblivious dux sunt. Aliter namque ea obliviscitur eruditus et doctus, aliter expertus et passus : ille si peritiam negligat, iste si miseria careat. Secundum hanc oblivionem quæ posteriori loco posita est, memores non erunt sancti præteritorum malorum : carebunt enim omnibus b' malis, ita ut penitus delectantur de sensibus eorum. Ea tamen potentia scientiæ, quæ magna in eis erit, non solum sua præterita, sed etiam damnatorum sempiterna miseria non latebit. Alioquin si se fuisse miseros nescituri sunt, quomodo, sicut ait Psalmus, *Misericordias Domini in æternum canabo?* (Psalm. LXXXVIII, 1) [D. Aug., *de Civit. Dei, lib. xxii, cap. 30, n. 4.*].

CAPUT LVIII.

De diversitate meritorum et præmiorum, in qua tamen nullus sit alti incisurus.

« Gradus honorum atque gloriarum qui in illa vita futuri sunt, ut ait sanctus Augustinus (*Ibid., n. 2.*), quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quod tamen futuri sint non est ambigendum. Atque id etiam magna illa civitas bonum in se habebit, quod pulchri superiori nullus inferior invidebit, sicut nunc non invident archangelis cæteri : ^d tanquam nolit esse unusquisque quod non accepit, quamvis pacatissimo concordie vinculo ei qui accepit obstrictus, quemadmodum nec in corpore vult oculus esse qui est digitus, cum membrum utrumque contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit bonum aliis alio minus, ut hoc quoque domum habeat, ne velit amplius. »

CAPUT LIX.

Quod infatigabiliter Deum laudabunt sancti.

In laudando Deum non erit tunc sanctis laboriosa contradictione ipsa laudatio : quia juxta quod propheta de illis dicit, non laborabunt neque fatigabuntur (*Isai. xi., 31.*) *Æternitatis enim beatitudine perfruentur* : ut hoc illis sit in remuneratione beatitudinis, quod indefesso usi fuerint jubilo laudis. Psalmus enim dicit : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psalm. LXXXIII, 5.*). Præmium ergo virtutis erit ipse qui virtutem dedit.

^a *Aliter Duac., Ille si per imperitiam negligat ; ille si miseria careat.*

^b *Deest malis in L.*

^c *Canabunt. L.*

^d *Emendavimus hunc locum ad edit. Maurinam S. August., supplendo illa verba quod non accepit, reliquis immutatis, licet in ea melius legitur : tanquam nollet. . . . quam nec in corpore, etc. Aliter, sed corrupte, in Lip. : Atque in id beata illa civitas magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori ullus inferior inridebit, sicut nunc non invident archangelis*

CAPUT LX.

^A *Quod sine fine Dominum videbimus, et quod ipse sit finis desideriorum nostrorum.*

Si, juxta quod ait Apostolus, *Cum Domino semper erimus* (*I Thess. iv, 18.*), certum est quod eum sine intermissione videbimus. *¶* Finis igitur desideriorum nostrorum Christus tunc erit, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, et hic affectus, hic actus profecto erit omnibus, sicut ipsa vita æterna, communis (S. Aug., *de Civ. Dei, lib. xxii, cap. 30, n. 1.*).

CAPUT LXI.

Quod ipse Dominus tunc nobis erit in præmium, et quod tunc honesta nostra desideria mirifice implentur.

^B Seipsum nobis in præmio daturum, quo nihil est aliud melius, repromisit ille qui nos creavit. *¶* Quid enim est aliud quod per prophetam Dominus dixit : *Ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi plebs* (*Levit. xl, 31.*), nisi : *Ego ero unde satientur, Ego ero quaecunque ab hominibus honeste desiderantur, et vita, et salus, et copia, et pax, et omnia bona?* Sic enim et illud recte intelligitur, quod ait Apostolus : *Ut sit Deus omnia in omnibus* (*I Cor. xv, 28*) [D. Aug., *Ibid.*].

CAPUT LXII.

De fine sine fine in quo infinite Dominum laudabimus.

Finis noster Christus perficiens nos, ipse erit respectio et laudatio nostra, quem in sæcula sæculorum laudabimus, et sine fine laudantes amabimus. Ibi erit, ut ait doctor sanctissimus Augustinus (*De Civ. Dei, lib. xxii, cap. 30.*), vere maximum sabbatum non habens vesperam. Quod commendavit Dominus in primis operibus mundi, ubi legitur : *Et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis* (*Gen. ii, 2.*), et sanctificavit eum, quia in eo requievit ab omnibus operibus suis. Dies enim septimus etiam nos ipsi erimus, quando ejus fuerimus benedictione pleni atque perfecti. Ibi implebitur : *Vacate et rideat quoniam ego sum Dominus* (*Psalm. XLV, 11.*). Tunc vere erit sabbatum nostrum, cuius finis non erit vespera, sed dominicus dies, ^b vel octavus, qui Christi resurrectione paratus est. Ibi vacabimus et videbimus, videbimus et amabimus, amabimus et laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. ⁱ Numquid aliis est noster finis, nisi pervenire ad regnum, cuius nullus est finis ?

angeli cæteri, tanquam relit esse unusquisque quod non accepit, quamvis pacatissimo concordie vinculo ei qui accepit obstrictus.

^e *Contradicione deest in Lip.*

^f *Lip., Et virtus, et copia, et gloria, et honor, et pax, et omnia bona?*

^g *Operibus, quæ fecit; et benedixit Deus diem septimum, et sanctificavit, etc. L.*

^h *Vel octavus æternus. L. Velut octarus æternus, qui.... sacrus est. Edit. Maur. S. Aug.*

ⁱ *Lip. Nam quis aliud noster est finis, nisi?*